



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesaurus Eloqventiae Sacrae Et Profanae, Saluti &  
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

**Alberti, Alberto**

**Coloniae Agrippinae, 1669**

Actionis Pars Qvinta. Præsentis Operis Defensio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)

ACTIONIS  
PARS QUINTA.  
PRÆSENTIS OPERIS  
DEFENSIO.



Ed quando tam multa de  
Adversarijs meis hæcenus  
commemoravi, Auditores;  
cogor jam pauca quoq; de me  
iplo subijcere, & quos in me  
gladios mucronesq; ab ipsâ  
strictos, atque intentatos prospicio, tem-  
pestivè objecto patrocinijs clypeo avertere,  
vel retundere.

*Eloquentia corruptelas ab adver-  
sarius in Orationes & Conciones in-  
ductas, aculeato, severòq; stylo  
iure fuisse reprehensas.*

291 **N**onnulli quippe eorum conque-  
rentur fortasse, illiq; in primis  
sine dubio, qui se tam longâ à me actione  
confossos, & jugulato penitus cernunt, de  
nimâ mei styli duritiâ, atq; acerbitate. Caus-  
santur me nimis fuisse pugnacem, nimis  
arrocẽ; dolerunt me nimis sævijsse, cruento  
se

se nimis laniatu fuisse disceptos indigna-  
 buntur; mitiusq; secum omnino agi oportu-  
 isse, clamabunt. Bene habet, Auditores. Re-  
 spiravi equidem, eva si, salvus sum. Verebar e-  
 nim, ne quis e Caronum, Fabriciorumq; or-  
 dine austerus Censor dicam mihi scriberet, **A**  
 aut e Socratis disciplinâ, vel e Stoicorum por-  
 ticu aliquis adducti vir supercilij in jus me  
 vocaret, teumq; parageret. At quum isto e  
 grege vnguentatorum, nescio quos, mihi sub-  
 iratos turbas ciere animaduerto, timorem  
 omnem pono; neq; sanè miror, si qui sermo-  
 nis luxum tam perditè amant; hunc etiam ip-  
 sum luxum paulo asperiore oratione excipi,  
 coercerique, placatis auribus, ac stomacho  
 minimè ferunt. Vellent enim non solum  
 ornamentorum intemperatiâ Orationes, Cõ-  
 cionesq; pervertere, sed pervertendi quoque  
 licentiâ, atq; impunitate gaudere; nobis au-  
 tem suæ istius intemperantiæ stylo vulneran-  
 dæ, cõpescendæq; facultatem prorsus ademp-  
 tam; vel certè, si nõ omnem culpam repræ-  
 hensionem, ut, quemadmodum ipsi, quum  
 alios reprehendunt, solum duntaxat; atque  
 cerussam de capsulâ promunt; ita vicissim à **B**  
 nobis molli tantum brachio, summâve cute  
 perstringerentur, neq; contra quicquam, nisi  
 mellitum, nescio quid, ac dulciculum occi-  
 neretur. **C** Sed qui tam multos & toties fallere  
 fueri sunt, jam profectò suâ quoq; opinione  
 falluntur. Nam quum ipsi tam durâ fronte,  
 pudoreq; nullo in Orationibus, atq; Concio-  
 nibus cum tot animarum, Reiq; publicæ de-  
 tri-

**D**erimento luxuriari non erubescant; libera  
**E**tiam obiurgationis scalprum, atq; novaculam experiantur, necesse est. In morbo enim & gravi, & periculoso sunt, vulgatâ acuminum, ornatusq; superflui tabe infecti sunt, putulenti, atque ulcerosi sunt, ideoque, velint, nolint, secandi etiam sunt, urendi sunt, Medicamēti verò modum, ferriq; aciem nō agri molities præscribit, sed morbi gravitas, lanandiq; consilium exigit atque in vulnus adigit: meminerintque illud Publilianum: *crudelem medicum ab agro intemperante fieri*. An

**F**ego inhumanum Procrustem, aut trucē Cerberam tomento, vel gossipio aggrediat? Cum fecerit tigride, efferatoq; Leone rosâ dumtaxat, ac papavere munitus, manus conferam? Ad **H**agnatos planè, atque gentiles, si ita desipiam, meritò deducendus sum, Auditores, nam à tantâ monstrorum immanitate quis non majus pondus armorum, instructioremq; apparatus imperari, secum illico reputat? Ac quid meorum Adversariorum Orationibus, atque Concionibus, ut vici, magis monstruosum? Quid ni igitur tot eorum monstra gravissimâ, & plus quàm Herculeâ clavâ jure mactaverim?

292 Sed quid tandem, rogo, hic à me vituperatum est, Auditores? Nō certè acuminum, venerum, lepōrum, reliquorumq; ornamentorum usus, sed abusus tantum, solus luxus, sola intemperantia. Quid ergo? Ipsi ornamentorum luxum, atq; intemperantiam ipsi Orationes pergunt intrudere, mordicus tue-

ti, perpetuò alere, ac fovere; & styli increpantis temperationem à me requirunt? Rectè. Sed nullus increpandi modus temperatior esse potest, quàm sine ullo modo rã effrenatã sentencularum, atq; illecebrarum immoderationem dicendo exagkare. Recidant ipsi super vacanea ornamenta, intemperantiam castigent, luxum tollant, moderatamq; sententiarum, acuminum, gratiarum, cæteri; ornatus supellectilem sibi retineant; & confestim extra omnẽ meæ Actionis istum in tuto consistent, neque ulla amplius meæ objurgationis particula ad eos poterit pertinere, quia Adversariorum quoque posito nomine, datis, junctisq; mecum, qui eãdem ornamentorum moderationem nihilo minus profiteor, dextris, arctissimam amicitiaẽ coibunt societate. **A**

At dum mea in tela, ac gladios, intemperantia patrociniis impudenter suscepto, sponte incurrunt, quid mei cuspidẽ styli imprudenter accusant? quid de novacula inelementia, quam ipsi in vulnus ultro sollicitant, insipienter expostulant? Si vitium nutrire, ac propagare obstinatẽ præfracteq; eis lubet, vapulent. **B**

ut merentur. Sibi impudent, si caduntur. **C**

293 Porro si Iulianum illum nostræ religionis scelestissimum desertorẽ ob interdictas Christianis hominibus liberales disciplinas, teã nostræ Fidei hostem infestissimum, atq; carnificem, eo quòd, illis neglectis, hujus quoq; subruendæ, amittendæq; periculum maximum crearetur, omni conviciorum, & contumeliarum genere Patres, cæteroqui  
mo.

modestissimi & pacatissimi, ut antea indicavi sine ullâ moderationis fraude mento-nerant, ac flagellant; an non jure etiam Rhetorices illi præceptores omnes, qui perfo-dendi artem gravissimam, atq; periosissimam nō docent, sed nugandi, ludendi, illudendi, meras præstigias, quum hinc fœda lues, ac tenacissimus morbus in Orationes, atq; Con-ciones cum inexplicabili Christianæ Respu-blicæ, pietatis, morum, & religionis damno, contra verò cum inæstimabili scelerum incre-mento, paulatim serpat, seseq; blande inferat, ratâ portione iniustis probris dedocereant.

Quanto igitur amplior, atq; liberior crimi-nandi campus mihi patuit, qui scholasticos ipsos Declamatores scholarum inclusos par-ricibus stylo meo, ut ita dicam, præteruectus, vixq; de viâ salutaris a tergo relinquens, in-gravium tantummodò Orationum, atq; Con-cionum, ubi verè, serioq; habendæ sunt, profligatores totam disputationem intorsit?

294. Verùm ante, quam quicquam amplius de styli vituperatione addo, provooco jam Præsules sapientissimi, ad veteres illos Patres moderationis ante signanos, ut, quâ censura severitate in ipsosmet colorum etiam, vesti-umq; luxum animadvertendum putarint, edicant. Recita mihi, quæso, primò Basilium magnum. \* *Comas, aut vestis superuacua* (inquit) *curare vel infelicitum est, ut ait Di-ogenes, vel injustorum. Nam quid ex talibus ex-pectandū, nisi ut lascivus ille ornatus feminas*

\* Hom. 24. de legendis libris Gentilium.

prætere hæc inuitet, aut alienis matrimonijs insi-  
diatur? Recita prætere Gregorij N. z. azenū.  
Enim vero, inquit, quis primus a Dei figmentum  
illud aggressus est? Perea quisquis ille fuit,  
qui primus coloribus, atq; pigmentis impudē: iā  
adunxit. Vt enim impudētes urinatores, viro-  
rumq; indigni nomine, laruā primū in faciem re-  
gunt, atq; ita deinde sequuntur, qua inhonestā  
rei conueniant, saltitationes videlicet, ac tu pis-  
cibrorū solutio, stultis hominibus gratissima:  
ad eundē modum hæc quoque postquam alienam  
formam externē induerint, ita demum vt pictā  
illā q; fucatā formā dignum est, mouentur.  
Recita insuper Diuum Ambrosium. b Hinc  
illa (ait) nascuntur incentiua vitiorum, ut  
quæ sitis coloribus ora depingant, dum viris dis-  
plicere formidant: q; de adulterio vultus medi-  
tetur adulteriū castitatis. Quanta hæc amētia,  
effigiem mutare natura, picturam quærere, q;  
dum verentur maritale iudicium prodere suū?  
Recita deniq; Sanctum Cyprianum. c Quod  
ornari te putas (inquit) quod putas comi, im-  
pugnatio est ista diuini operis, præuaticatio ve-  
ritatis. Non metuis, oro, quæ talis es, ne quum  
resurrectionis venerit dies, artifex tuus te non  
cognoscat: ne dicat, hoc opus meum nō est, q; hæc  
imago nostra non est; Cutem falso medicamine  
polluisti, crinem adulterino colore mutasti, ex-  
pugnata est mendacio facies, figura corrupta est,  
sultus alienus est. Deum videre non poteris,  
quum

a Orat. in mulieres ambitiosē se ornantes.

b Lib. 1. de Virg.

c De habitu Virginis.

quum oculi tui tibi non sint, quos Deus fecit, sed  
 quos Diabolus infecit. Quæ si cui forte asper-  
 us dicta videtur audiat is, aut legat alia ab ob-  
 dē sacro Antistite hauri modico fortasse duri-  
 ūs prolata. \* Ornamentum (inquit) ac vestium  
 insignia, & lenocinia formam in nōna: si pro summa  
 & impudicis feminis cōgruunt: & nulla in se  
 pretiosior cultus, quā quarum pudor vultu  
 Claudat Patrum gravissimorum acie doctri-  
 narum omnium lumen Augustinus. \* Quam  
 amentia est (inquit) effigiem mutare natura,  
 picturam quarere? tolerabiliora prope modum  
 adulterio crimina sunt. Ibi enim pudicitia,  
 natura adulteratur.

295 Neq; verò Patres dumtaxat sanctissimi,  
 sed profani quoq; ethniciq; scriptores eundē  
 luxum vestium atris calculis, & tristissimā  
 verbis notaverunt. Quā discretē enim Athenes-  
 us ex Philarcho a testatur apud Syracusanos  
 lege cautum fuisse, ne qua mulier, nisi publi-  
 ca esset meretrix, auro ornaretur, nec flores  
 gestaret vestes, nec purpureis indumentis  
 niteret? quā libere Solon septem e sapiensibus  
 celeberrimus Cræso Lydiæ b regi, quum in  
 folio pereleganter amictus cōsedisset, rogat-  
 setq; num pulchrius unquā spectaculum as-  
 pexisset, statim respondit, se vidisse, nepe gal-  
 los gallinaceos, pavones, & phasianos? Quā  
 ex-

\* Ibid. \* de sermone domini.

a lib. 12. c. 6.

b Laertius lib. 6. de vitis Philof.

c Sueton. in August. s. 3.

d Lucret. Dec. 4. lib. 4.

explanatè Cæsar Augustus? c. Vestitus (inquit)  
 insignis ac mollis superbia vexillum est, nidusq;  
 luxuria? Quàm graviter M. Portius Cato, d  
 pro lege Oppiâ, quæ mulieres plus semenciâ  
 auri habere, aut vestimento versicolori uti  
 prohibuerat, adversus eos, qui illâ abrogandâ  
 censebant, disserens, totam Orationem ita  
 absolvit? Nolite eodẽ loco existimare, Quirites,  
 futuram rem, quo fuit ante quàm lex de hoc  
 ferretur, & hominem improbum non accusari  
 tutius est, quàm absolvi; & luxuria non mota  
 tolerabilior esset, quàm erit nunc ipsis vinculis  
 sicut fera bestia, irritata, deinde emissa. Imò  
 ne Poetæ quidem ipsi, alioquin maximè  
 effeminati, atq; mollissimi, ab hoc eodem  
 vestium luxu severè insectando sibi tempera-  
 runt. Vnum pro omnibus Sextum Properti-  
 um, aliàs delicatum valde, atq; enervem hoc  
 pacto canentem appello. a

*Certa quidẽ tãtis causa est manifesta ruinis  
 Luxuria nimium libera facta via est.*

*Inda cauis aurum mittit formica metallis,*

*Et venit è rubro Concha Erycina salo,*

*Et Tyros ostrinos prabet Cadmea colores,*

*Cinnamon & multi pastor odoris Arabs,*

*Hac etiam clausus expugnant arma pudicas,*

*Quæq; terant fastus, Icaricote tuos.*

*Matrona incedit census induta nepotum,*

*Et spolia opprobrij nostra per ora trahit*

Franciscus verò Petrarha laureatus Poeta  
 qui in Lauræ suæ ludendis amoribus tam  
 operosè

a lib. 3. a seg. 12.

b Deremedijs Dial. 20.

oporose insaniji, de luxu tamen vestium quam  
 Catoniano prorsus ingenio, spirituq; philo-  
 sophatu? *b* Nō est locus inquit, ut desleam, atq;  
 execrer *L*udibria hac habituum externorum,  
 quos vobis ab extrēis Mundi finibus furibunda  
 presens atas intulit Sed *D*ij hominesq; male ode-  
 rint has beluas humanā effigie, serino animo,  
 linguā Latīnā barbarico habitu, cōpto femina  
 ad molliciem capillo, moribus ad aprinam dū-  
 tiē horridis atq; incultis. hinc obscena corporū  
 impudentissimē detegentes, illinc mentium levi-  
 tatē vano virice volucriū plumis extantibus,  
 apertissimē designantes. An verō tam vigilēs  
 magistri, an tam dociles discipuli plus odij me-  
 reantur, in dubio est; quorum ingenijs effectum  
 vides, ut inter mimos, ducesq; inter scorta, &  
 matronas prope jam nil inter sit aspectu. *N*ec  
 dum sistit, sed in dies serpens crescit, & varia-  
 tur insania,

296 At quid est, obsecro, Judices pruden-  
 tissimi per vestram fidem, Orationis, vel Cō-  
 cionis ornatus, supervacuis fucati candoris  
 medicamentis redundans, nisi luxus quidam,  
 atque lascivia, & quidem multo, quā ille ve-  
 stium, Christianæ Reipublicæ perniciosior?  
 Ex hoc quippe unius tantum, vel alterius vi-  
 tij, puta, libidinis, aut superbiæ titillationes,  
 ac fomenta proficiscuntur: ex eo autem cri-  
 minum omnium licentiæ frangi passim, ha-  
 bentæque, ut docui, laxantur. Si igitur tam  
 mitibus Patribus, quā ludibundis Poetis,  
 vestium luxum tot verberare probris sine ullo  
 probro licuit; Si cum alienorū matrimoniū  
 sub-

subfessorem appellare; si impudentiæ addita-  
 mentum, si complurium vitiorum irritamen-  
 tum, de vultus adulterijs meditata adulteria  
 castitatis, divini impugnationem operis, &  
 veritatis prævaricationem nuncupare; si oculo-  
 sa Diabolo infectos impudicarum ac pro-  
 stitutarum insignia, amentiam, & naturæ ad-  
 ulterium dicere; si publicæ meretricis tesse-  
 ram, si superbiæ vexillum nidumq; luxuriæ,  
 si opprobrij spolia; si arma ad pudicas, clau-  
 sasq; matronas expugnandas facta, si beluas  
 humanâ effigie oblectæ corporum impudē-  
 tissimè detegentes vocare, sine ullâ immodē-  
 stiæ notâ fas fuit: quidni etiam eadem con-  
 vicia in orationum, atq; Concionum luxum,  
 in acuminum, atq; ornamentorum intempe-  
 rantiam tot partibus, ac nominibus, nocen-  
 tiorem jactare mihi jure licuerit? Mentiar  
 enim, Antistites gravissimè, mentiar, si quid  
 his contumelijs mordacius mihi in Adversa-  
 rios uspiam excidit; aut si tale quid unquam  
 à me dictum offenderitis, actutum si ylo in-  
 ducite, delete, eradite, lacciateq;.

*Eloquentiæ flagitia à disertissimis,  
 modestissimisq; Scriptoribus ca-  
 perata fronte, atq; acida lin-  
 gua corripuntur.*

297 **V** Erum quid agimus, Auditores?  
 quid per circuitum, ac flexum,  
 quod in cōspectu jacet, investigamus? Quam  
 vehc-

vehementer eum, atq; insignitè Auctores sapientissimi, quà prisci, quà recentes, Orationum, Concionumq; corruptelas exagitant? Eant isti, qui, quod nesciunt, temerè carpunt; quod non legerunt, confestim explodunt, quod non audierunt, inconditè alatrunt. eant, inquam, per monumenta Majorum eant, & Scriptorum varia excutiant volumina, socordiamq; & ignorantiam semel valere jubeant; & quo in pretio, atq; honore eloquentiæ perduelles, per solum etiam ornamentorum luxum, ne dum per insanam doctrinam, apud cordatos quosque viros habeantur, discant aliquando.

298 Vultis primò profanarum corruptores Orationum fœdè proscissos intueamur? Libentissimè. Divinum ipsum appello Platonem, qui in Phædro falsam Rhetoricam coquinariam facultatem vocat. Platoni succenturio majorem Aristotelem, <sup>a</sup> qui eos, qui poetico morè in oratione loquuntur, quia rem indecoram faciunt, & ridiculos, & frigidos fieri pronuntiat <sup>b</sup>. Viriq; Demetrium Phalarcum adjungo qui scurrilia omnia, & quæ alterius tantum oblectandi gratiâ dicuntur, & obscœna esse, & mimis aptiora tradit. An verò quicquam lenius agit M. Tullius, qui de Logodædalorum Orationibus differens ita eas acciter vellicat? Quo magis sunt (inquit) Herodorus, Thucydidesq; mirabiles quorum ætas quum in eorum tēpora, quos nominavi, incidisset sorgis-

a lib. 3 Rhetor. cap. 5.  
b Particula. 85.

finē tamen ipsi à talibus deliciis, vel potius ineptiis absuerunt. Num placidior est Fabius Quintilianus, qui idem vitii genus acerbè lugillat? <sup>a</sup> Ornatus (inquit) virilis, fortis, & sanctus sit; nec effeminatam levitatem, nec fuculentam eminentem colorem amet; sanguine, & viribus niteat. Quibusilla quoque sunt contestantur: In univēsum autem, si sit necesse, auram potius, atque asperam compositionem maiorem esse, quàm effeminatam, & enervem, qualis apud multos, & cotidie magis lascivi vimus syntonorum modis saltitantes. Multò autem fufius, ac severius alio loco. <sup>b</sup> Falluntur enim (ait) plurimum, qui vitiosum, & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentiâ resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus jocos bacchatur aut casurus, si leviter excutiantur, fosculis viret, aut precipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit; magis existimant populare, atque plausibile.

299. At quanto adhuc asperius, Stoicâque prorsus libertate L. Annaeus Seneca Meconatis eloquentiam criminatur? <sup>c</sup> Quid ergo? Non oratio eius, inquit, aequè soluta est, quàm ipse discinctus? Non tam insignita illius verba sunt, quàm cultus, quàm comitatus, quàm domus quàm uxor? Magni ingenii vir fuerat, si illud egisset viâ rectiore, si non vitasset intelligi, si non etiam in oratione difflueret. Videbis itaque

<sup>a</sup> Lib. 9. cap. 4.

<sup>b</sup> Lib. 12. cap. 7.

<sup>c</sup> Epistola 15.

loquentiam ebrii hominis involutam, & errantem, & licentia plenam. Et pauld post. Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit gladio sanguine abstinuit, nec ullā aliā re, quid posset, quā licentiā ostendit. Hanc ipsam laudem suam corruptit istis orationis portentissima deiciis. Apparet enim mollem fuisse, non mitem. Hoc ista ambages compositionis, hoc verba transversa, hoc sensus mihi magni quidem saepe, sed enervati dum exeunt, cui vis manifestum facient, morū illi felicitate nimia caput. Et paucos adversus infra. Quum assuevit animus fastidire, quae ex more sunt, & illi pro sordidis solita sunt: etiam in oratione, quod novum est, querit, & modū antiqua verba atq; exoleta revocat, & profert: modo fingit ignota, & deflectit: modo id, quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio, ac frequens. Sunt qui sensus praedant, & hinc gratiam sperant, si sententia peperderit, & audienti suspicionem sui fecerit. Sunt qui illos detineant, & porrigant. Sunt qui non usque ad vitium accedant. Necesse est enim hoc facere, aliquid grande tentanti, sed qui ipsum vitium ardent. Itaq; ubicunq; videris orationem corruptam placere, ibi mores quoq; à recto descivisse, non erit dubium. Quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium, egra civitatis indicia sunt; sic orationis licentia (si modū frequens est) ostendit animos quoque, à quibus verba exeunt, procidisse. Mirari quidem non debet, corrupta excipi, non tantū à corona sordiditate, sed ab hac turba quoque cultiore. Tegis enim isti inter se, non iudiciis distant. Hoc magis mi-

rari potes, quod non tantum vitiosa, sed & vitia  
laudantur. Postremo tandem subdit. Talis est  
oratio Meccenatis, omniumque aliorum, qui non  
casu errant, sed scientes, volentesque. Hoc à ma-  
gno animi malo oritur. Quomodo in vino non  
ante lingua titubat, quam mens cessit oneri, &  
inclinata vel prodita est, ita ista oratio, quid a-  
liud, quam ebrietas?

300. Hæc Seneca, à quo quàm parum abie-  
Musonius de eloquentiâ apud Agellium ita  
disputans: a Quum Philosophus hortatur, mo-  
net, suadet, objurgat, aliudve quid disciplina-  
rum differit; tum qui audiunt, si de summo, &  
soluto pectore, obvias vulgatasque laudes effu-  
tiunt, si clamitant, etiam si gestiunt, si vocem  
ejus festivitibus, si modulis verborum, si qui-  
busdã quasi frequentamentis orationis moven-  
tar, exagitantur, & gestiunt, tum scias, & qui  
dicat, & qui audit, frustra esse, neq; illic philoso-  
phum loqui, sed tibicinem canere. Ad stipulatur  
quoque Corn. Tacitus, seu Quintilianus, vel  
quicumque Dialogi de causis corruptæ elo-  
quentiæ Auctor est, gravis omnino, ac diser-  
tus. b Caterum si omisso, inquit, optimo illo, &  
perfectissimo genere eloquentiæ, eligenda sit for-  
ma dicendi; malim hercule, Caji Gracchi im-  
petum, aut Lucii Crassi maturitatem, quàm  
calamistros Meccenatis, aut rinnius Gallionis.  
aveo melius Oratorem vel hirtâ togâ induere,  
quàm sucatâ, & meretriciis vestibus insignire.  
Neque enim Oratorius iste, imò hercule ne virilis

V 2

qui-

a Lib. 5. Noct. Attic. cap. 1.

b In Dialogo.

quidem cultus, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum, & levitate sententiarum, & licentiâ compositionis, histrionales modos exprimant.

301. Quod si ad nostræ tempestat's Scriptores descendamus, quàm præclare in tem meam Joannes Perpinianus in Oratione, quam habuit, de avita dicendi laude recuperanda? \* Hinc (inquit) profeminata sunt illa pueriles opiniones & absurda, quas nonnulli jam solas in scholis intolerabili cum arrogantia, & fastidio pro verissimis, certissimisque jactant: bene dicere, non persuadere, finem esse Oratoris: solam elocutionem esse hujus artis, aut elocutionem cum pronuntiatione, & actione: ridiculum esse nunc querere numeros in Oratione. Videlicet stipites repente nos, aut lapides factos esse arbitrantur, quos putant subito quodam animi stupore omnem ejus rei, que maximè cognata est mentibus nostris, sensum amisisse. Hac & alia permulta isti nobilissimorum Scriptorum inepti correctores invexerunt. Et pau'ò infra. Et videte, quantum inter modestiam veterum, & istorum impudentiam distet Socrates apud Platonem. Den que. Illi propter vetustatem etiam se inferioribus humanissimè singularem honorem deserebant, isti quem antiquissimis auctoribus honorem omnia secula concesserunt, hunc eis impudentissimè detrahere nituntur. Quamquam istorum levitatem gravitati veterum inimicam esse non miror. illud miror, esse tam multos, qui quorum facta imitentur, eo

rum exitus non perhorrescant, quum viderimus eum, qui se signiferum prabuerat ad antiquorum auctoritatem evertendam, desertam religionem, se ad impietatis, & impuritatis castra contulisse.

302. Verum si quis alius Tullianæ eloquentiæ imitationem adversus ejusdem desertores, acerrimè propugnavit, is Julius certè Nigronus in decem eâ ferè de re Orationibus fuit, è quibus, quum plurima huc quã commodissimè possem advocare, hæc tamen paucissima lat habeo delibare. \* At relinquamus (inquit) illorum tam foedam, manifestamque stultitiam, quorum simillimi sunt, & pari objurigatione dignissimi qui in imitatione Ciceronis, si quid vetustatem sapit, observant, si quid licenter pro auctoritate, quã pollebat, novavit, avidius arripiunt. Et mox, simias Ciceronianas non imitatores eos appellaverim, qui deteriora, qui reprehensa, qui vitii finitima, pro veris, germanis, manifestisque virtutibus imitatione conlectantur. Vi enim bestia illa turpissima, ut loquitur Ennius, ineptiarum actiones ridiculas, ac deformes exprimit, quibus spectantium risum movet; non concinnas, serias, decoras, quæ laudem ex admiratione provocarent; sic ineptissimi Ciceronis, aliorumque bonorum Oratorum imitatores, qui de venis aureis, & argenteis optimorum auctorum, orichalcum, atque stannum effodiunt; de fluminibus eloquentiæ pro gemmis atenas, pro margaritis calculos expiscantur; de fontibus ingeniorum pro pura, & clara, turbidã

V 3

&amp; in-

\* Orat. 16. num. 22.

Et inquinatam hauriunt aquam; imprudentia, stultitiaque sua debitas, meritasque persolvunt pœnas. Ita Niglonus

303. At quanto contentius, ac vehementius hos ipsos logodædalos Nicolaus Cassinius vir eloquentissimus aculeato stylo perstringit? *a* Huic ego gravitati (scilicet viri eloquentiæ) puerilem (inquit) qua nunc est in multis, loquacitatem non annuero plenâ vanitatis, & futilium propè deliramentorû. Evēnit enim, ut qui propter pectoris angustias hoc sublime dicendi genus generosa mentis factum non satis capiebant, leves homines, & Graculi, toti se ad literarum aucupia, phrases, & periodos conferrent, non secus ac pueri, qui quum auri, & margaritarum pretia nesciant, pictos in litore calculos legunt. Libro autem secundo eloquentiâ sic expostulantem inducit: *b* Postquam ventosa illa loquacitas juvenum animos ad magna surgentes, veluti pestilenti quodam fidei afflavit, dulce fuit omnibus desipere: pudentiam etiam aliquos non insanire, & eò deveniunt amentia, ut nescio cujus Asini lordes purpuras suas esse dicerent! ô tempora! ô mores! Tū eloquentiæ positrâ personâ; Hâc miserabili voce (illico subjicit) commotis omnium animis, primùm comploratio, deinde tumultus. Alii clamabant carnifices eloquentia, ad remosi; alii corruptores literarum ad bestias; alii, utinam flores veteris disciplina, ad Tartara. *c* Rursum postea Marcum ipsum Tullium hâc ratione lo-

*a* Lib. 1. de sacra & profana eloquentia, in prof. *b* Lib. 2. cap. 17. *c* Lib. 2. cap. 22.

loquentem facit. Equidem si sibi hoc sumunt Adversarii mei, stante me non posse veterem disciplinam corrumpere, quam illi omnium virium contentione convellere decreverunt: Patior libenter me pro literarum incolumitate, gloria, & ornamentis, vestrisque omnium studiis perditorum hominum furori, tanquam vallum opponi. Et spatio haud magno interjecto. Mirari (inquit) tamen satis non possum inimicorum (non dicam) audaciam (jam enim vulgare vitium est) sed amentiam, impudentiamque singularem.

304. Demum politissimus Vincentius Guinifius peculiari Allocutione de literarum luxu elucubratâ, quàm bellè meæ causæ velificatur? Ego verò (ait\*) nunquam probavi, ut in homine petulantiam, ac vultus hilaritatē dissolutè festivam, sic in eloquentia nimis effusam, immodestamque quasi latitiam, lautitiâque, & risus orationis, & gaudia. Tum deinde. Nam abundet, ut libet oratio; nisi etiam redundet, atque extra ripam rationis effluat, eloquens, admirabilis, divina non dicitur, quum tamen interdum, nescit qua ludibria levissimis planè sonis, atque inanibus excitet, mellitosque verborum globos, & Cerbero dignas offulas exponat, quibus insidias auribus, non animis faciat. Procul enormis istac, & plerumque ventosa loquacitas: despumet oratio, necesse est, ac bulla, ampullaque pueriles aliquando detumeant: illudque sit instar oraculi: non sanè majorem haberi laudem Oratoris, nōsse principium invenire, quàm finem. Verum ut hac ita sese habeant;

\* Allocut. 3

V 4

alia

alia tamen est hoc aro communior sermonis in-  
 temperantia. Nam vana illa foliorum umbra-  
 cula, inutilisque verborum quasi propagines  
 magnā partem amputavit atas, ac familiarius  
 quodam vitium orationis, interea paucorum  
 fecit. Siquidem eloquentia nunc luxus est, omni  
 propemodum luxu carere; atq; in tantum super-  
 vacanea recidere; ut etiam necessariis abstinea-  
 mus. Ad extremum, In hortis sapientie iam de-  
 licias facimus: sententiolas humiles, & circum-  
 cisas, tanquam arbusculas manu retentas; bre-  
 ves argutias, pressius quidem castigatas; sed  
 sonsurā in sobolem abeunte, sensiculis inde plu-  
 rimis, innumero velut herede progerminantes;  
 ubiq; vibratos, tenuesq; spiritus, qui non modo  
 animos pungant, fertantque, sed in ictu relin-  
 quant aculeos; plerunque & vitam, usque adeo  
 statim à vulnere moriuntur. Denique in deliciis  
 hoc aro pumilioes sunt, & compendia, ut ho-  
 minum, sic eloquentia. atq; hac ipsa frugalitas  
 dicitur. qua verè luxuria est. Hæcine majestas,  
 ac dignitas amplissima facultatis: picto quidem  
 no phalerato; sed tenui angustoque navigio iam  
 exaggerata merces imponitur: ad præruptos  
 A hosce scopulos agitur? ad hæc brevicia inclemen-  
 ter alliditur?

Vnguentati sacrarum prævaricatores Concio-  
 num à divinis Oraculis, Sanctisque Patri-  
 bus acerrimo stylo vituperantur.

305. **T**Ranseo jam, Auditores, à profanis  
 Oratoribus ad sacros Concionato-  
 res, pauloque fufius, ac diligentius, quam  
 duris

duris sententiarum telis explorata æterni  
 Numinis chirographa, veterumque Patrum  
 comperta volumina eos omnes, qui tam  
 caeleste munus vel ornamentorum luxu  
 dumtaxat, nedum etiam pravâ doctrinâ,  
 contaminant, transveberent, nunc patefa-  
 cio. Sed unde, quæso, ducam initium, nisi à  
 perfectissimo Concionatorum omnium ex-  
 emplari, à Paulo nimirum Apostolo, à quo  
 horrificum illud fulmen vibratur? *a Non su-  
 mus sicut plerique, adulterantes verbum Dei?*  
 Quod autem hæc verba pertinent, nisi ad cõ-  
 cionis sacræ corruptelas execiandas; si qui-  
 dem, ut S. Gregorius enucleat, sicut *b adul-  
 ter non prolem, sed voluptatem quarit; ita va-  
 na gloria serviens Prædicator, rectè adulterare  
 verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium  
 non Deo filios gignere, sed suam scientiam desi-  
 derat ostentare?* Quod item, nisi eodem, pergit  
 Septimius Tertullianus? *c Tantum* (inquit)  
*obstrepit adulter sensus, quantum corruptor  
 stylus.* Cæterum quia apud Paulum Græci  
 Patres *dò adulterantes vertunt cauponantes,*  
 quis vestrum ignorat, quam luculenter id  
 Theodoretus hoc pacto interpretetur? *d Hic  
 contra adversarios contendere aggreditur, &  
 docet, quod ipse quidem tradit doctrinam, qua  
 à divina gratia proficiscitur, illi autem divi-  
 num sermonem cauponantur, eum fabulam*  
*effe.*

V 3

a 2. Cor. 2.

b 8. moral. cap. 35.

c Lib. de Præscript. cap. 16.

d In 2. Cor. 2.

efficientes, & sua cogitata gratia admiscentes, quemadmodum qui vinum purum aqua miscent. *a* Sicut olim Isaias vaticinatus est: vinum tuum mixtum est aqua; quod lxx. caupones tui miscent aquam, reddiderunt. Quid si idem Pontifex Gregorius vitiosarum architectos Concionum concubinas, ne dum caupones, atque adulteros nominat? Illius certe in eum Canticorum versum: *b* sexaginta sunt Regina & octoginta concubina: ipsissima hæc verba sunt: Concubina quippe non verè, sed fide dominos diligunt; & ab eis non posteritatem filiorum, sed presentiam commodorum expetunt, nec continentia se exercent, sed libidinem explere concupiscunt. Sic falsi Prædicatores in Ecclesia existunt, quia dum non Christum, sed lucrum, vel laudem diligunt, non spiritaliter, & castè, sed carnaliter, & libidinosè Christo se coniungunt. Bene ergo concubina vocantur, quia Christum, quem prædicant, non spiritu, sed carne sectantur. Nempe qui mente ita corrupta concionantur, prono in vitium alterum lapsu, & stylum ipsum, concionemque solent corrumpere, neque animum dumtaxat, sed Orationis quoque corpus, concubinarum instar, fœdè prostituunt.

306. Quid porro sibi vult vates Ezechiel divino afflatus Numine, orèque indignabundo personans: Et tu fili hominis, inquit, & pone faciem tuam contra filias populi mei, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic

*a* Is. 1. *b* Cant. 6. *c* Ezech. 3.

& dic. Hac dicit Dominus Deus. *Va qui consuunt pulvillo sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universa aetatis ad capiendas animas. Quorsum, rogo, Propheta sanctus filias populi, & non filios nuncupat? Mysterium, ac nodum solleter ita solvit Origenes. a Potuit dicere Propheta: super filios populi tui, qui prophetant; sed quasi omnes, qui velamina contexant, & cervicalia consuunt sub omni cubito manus, mulieres sint. & nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait Propheta: in filias populi tui, &c. effeminata quippe sunt eorum magistrorum anima, & voluntates, qui semper sonantia semper canora componunt, & (ut, quod verum est, dicam) nihil virile, nihil fortè, nihil Deo dignum est in iis, qui juxta gratiam, & voluntatem audientium pradicant.*

307. Quod si hæc suavia nimis, ac mollia sunt, S. Hieronymum severius exprobrant & audite. *b Iam enim (inquit) in Ecclesia ista quaruntur, omissaque Apostolicorum simplicitate, ac puritate verborum, quasi ad Athenarum, & ad auditoria convenitur, ut plausus circumstantium suscitentur, ut oratio Rhetorica artis fucata mendacio quasi quadam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam à favore populi quasitura. & in modum psalterii, & tibiae dulci canentis sensus demulceat audientium: ut verè illud Propheta Exechielis nostris temporibus possit aptari, di-*

V 6

cento

a Ibid.

b In præm. lib. 3. Epist. ad Galatas.

cento Domino ad eum. Et factus est eis quasi  
 vox citharæ suæ canentis, & bene compo-  
 sitæ, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.

308. Porro quia impudicæ mulieres, ac  
 meretrices scenas haud rarò dehonestant,  
 nonne in has ipsas Gregorius Nazianzenus  
 nugivendos Concionatores, nugatoriâsque  
 conciones præcisè relegat? *a* Sed neque face-  
 tus quispiam (ait) ac jucundus sum, atque ita  
 comparatus, ut hominum benevolentiam blax-  
 ditius, & assentatione surripere queam, quales  
 multos eorum video, qui hoc tempore Sacerdotii  
 munus profitentur, qui Fidei nostra pietatem,  
 qua prius simplex, atque artis expertus erat, arti-  
 ficiosam reddiderunt, ac novum quoddam poli-  
 tices genus à foro ad Sancta translata, & à thea-  
 tris ad sacrarium, vulgi oculis minimè spectan-  
 dum; ita ut audacter hoc dicere oporteat: duk  
 jam scena sint, inter quas hoc dumtaxat inter-  
 fit, quòd illa omnibus patent, hæc quibusdam;  
 illa rideatur, hæc in honore sit, illa theatrica,  
 hæc spiritualis nominetur.

309. Nonne ad amiffim ferè etiam con-  
 gruunt, quæ de hujusmodi scenicis Concio-  
 natoribus deplorat quoq; D. Chryostomus?  
*b* Hoc Ecclesias Dei inquit subvertit, quoniam  
 nec vos sermonem audire quaritis compunctio-  
 num, sed potius qui delectare sono valeat per bo-  
 nam compositionem, tanquam citharædus au-  
 dientes, & nos se viter, & arumnosè facientes,  
 vestras sequimur complacentias, quum eas de-  
 beremus excidere. Nonne eundem Chryso-  
 stomum

*a* Orat. 27. *b* Hom. 38 ad popul.

stomum in eos, qui facetias extra Conciones quoque serunt, excandescens jam semel, pauloque ante ex me audistis? *a* Parasitorum est, ait, res ista mimorum, Salatorum, fornicantium mulierum: procul à mente libera, procul ab ingenio, procul etiam à seruis: si quisquam est ignobilis, si quisquam est turpis, & obscenus, iste sit & urbane faceris. Quanto magis hoc eodem fulmine Chrysostomuseum, qui hujusmodi scommatis sacras sceleret Conciones, prosterneret? Nonne à Senonensi etiam Concilio dilucidis verbis, ut pariter indicavi, severissime cautum legimus? *b* Si populum (inquit) more scurrarum vilissimorum, dum ridiculas, & aniles fabulas recitant, ad risus cachinnationesque excitaverint: aut (quod deterius est) se Prælati Ecclesiæ, Principibus, Sacerdotibusque detraxerint, &c. Nos volumus tales, tam ineptos, & perniciosos Concionatores ab officio prædicationis suspendi, & à suis Superioribus pro modo, & mensura acriter puniri.

310. Nonne postremò vir gravissimus, ac valde pius Ludovicus Bloisius asseverat planissime: *c* Nimio eloquentia amore mentes eorum, qui minus affecti sunt, facillimè à Deo, ac pietate avocari, atque in præcipitium philantia, superbia, cœnodoxia pertractas, velut ut heas reddi? Atque hæc omnia ex insipientia consilium decretorum apud Patres silyà ad specimen dumtaxat cæsa sunt.

V 7

Inuti-

*a* In cap. 5. Epist. ad Ephes. *b* Cap. 35.

*c* Initio suorum operum.

Inutiles, vaniq; Concionatores etiam à nostri  
seculi Auctoribus passim, aspereq; fla-  
gellantur.

311. **Q**uod si nostri quoque ævi Scrip-  
tores, qui idem hominum genus  
leve, ac joculari censè admodum repre-  
henduat, pervolvam, omnesque enumerare  
velim, ne dum exscribere, finem non reperiet  
oratio, Auditores. Quare paucissimos tan-  
tummodo libans, captimque legens, acer-  
bissimo dolori meo, quem tot ac tanta de-  
trimenta ex hac pervertâ concionandî for-  
mâ in Christianam Rempubl. cam redun-  
dantia mihi jam pridem inuulerunt, justissi-  
mè parentabo. Ducat ordinem omnium  
primus, Orator disertissimus M. Antonius  
Muretus, à quo insipientes hujusmodi Con-  
cionatores sapientissimè hoc modo irriden-  
tur. *a Tale disputandi genus, circulatoribus  
magis, quàm philosophis convenit. Hujus i. sicut  
vitii exempla, vel maximè illustria notavi in  
quibusdam maximarum rerum ad populum  
interpretibus. quarum oratio, qua non compta,  
& calamistrata, sed gravitatis, majestatis, ac  
sæctimonie esse deberet, tota papaverere, ac sesamo  
sparsa est. & ex mellitis verborum contexta glo-  
bulis, ita ut ad eos, non tanquam ad vitæ magi-  
stros, aut vitiorum correctores, sed tanquam ad  
comedos, & histriones eatur. Stant illi, & quum  
frontem bis terve perfricuerint, barbaniq; per-  
mulserint, hiante, & mirificum quid expectan-  
te plebe (plebis autem nomine etiam quosdam ex  
optimè*

*a In Seneca Epist. 40.*

optimè vestitis comprehendo) laxant habenas  
lingua, & similiter cadentia, similiterq; desinex-  
tia soacervantes, paria paribus, contraria con-  
trariis opposites, multa etiam semel suo ordine  
repetentes, eaq; in re memoriam pueriliter osten-  
tantes, atque hæc, saltatricularum in morem,  
gesticatoriis, neque unquam quietis manibus  
adjuvantes, argutè multa, quibus risum excu-  
tiant, dicunt, nunquam interim aut sibi, aut  
Auditoribus respirandi facultate permissa. Qui-  
bus omnibus rebus admirationem imperitis, cor-  
datis, & intelligentibus nauseam, ac stoma-  
chum commovent.

312. Mureto succedat Tarquinius Gal-  
lutius in eadem eloquentiæ palestrâ exerci-  
tatissimus. a Quum igitur (inquit) eorum  
plerique qui ad populariter orandum accedunt,  
laudabiliter dicere se posse diffidant, nisi oratio-  
nem ante, diutule pectant, atque aliquo colorent  
medicamento, in salutariis Grammaticis, atque  
Oratoribus, ipsi in penetrabilia poetarum inva-  
dunt: à quibus ubi putida quadam adjuncta,  
vel metaphoras illustriores interverterint, sen-  
tentias insuscant suas, obscurant alienis lumi-  
nibus argumenta; & quia cupressum malè si-  
mulare semel didicerunt, pessimè omnibus locis,  
ac semper eandem cupressum inculcant. Tum  
enim verò illa audientium voces excipiuntur,  
qua istorum orationem jure quidem, sed falso  
nomine reprehendunt: quum quos homines ab-  
surdos, ac stolidè debacchantes appellare debe-  
rent, eos sequi dicant Rhetorica florem Oratio-  
nis

a Tom. 1. orat. 3. de concionibus sacris.

nis. Quos ego quum audio, saepe mihi venit in mentem respondere, legi quidem ab istis flores, sed flores vulgò, ac passim obvios, foetidos, despiciatissimos, in luto ipso, fimoq; nascentes. Aliud est apiculam esse, aliud esse fucum, aut scarabeum, aliud est florem fundere, qui pariat frugem, aliud sine fructu, ac foetu inaniter efflorescere: aliud est, suis nitentem coloribus, nativo vegetam succo, minime maculosis ornatam vestibus, quasi virginem, aut matronam ex honestissima domo Orationem producere; aliud cerussa oblittam, ac slibio, unguentis delibutam, & medicamentis exoticis, Phrygiâ pallâ, vel purpurâ colucentem Tyriâ proferre, quasi de ganeâ meretricem. Declamaret in istos vir eloquentissimus, idemque sanctissimus Hieronymus id, quod in Christianos sui temporis Oratores declamavit. Ad quos velut ad Athenaeum conveniri dicebat, ut imperitorum excitaretur plausus, ut oratio Rhetorum obvoluta mendacis, quasi meritoria pellex procederet in publicum, non tam eruditura populos, quàm favorem populi quasi-tura. Declamaret Hierosolymitanus Cyrillus, qui nimium verborum ornatum in Christiani declamatoris ore mel è meretricula fluens labiis appellavit. Declamaret Clemens Alexandrinus, qui istorum orationem, convivium nullis ornatum epulis dixit, bellariis tantùm, & condimentis, quasi quibusdam adulteris epularum instructum. Declamaret Basilus, qui vocum elaboratam posituram, numerorum convenientiâ, atque ad unguem exploratam collocationem irridet, negatq; Christianis licere periodorum quasi

quasi fabros esse, ac tornatores. Declamaret Gregorius Nazianzenus, qui fucosam, ambitiosamq; dicendi formam à Theologiâ, hoc est à divinis causis censuit omnino, ac prorsus exterminandam. Hæc tenus Gallutius eloquentissimè.

313. Quid jam præterea Carolum Regium memorem, qui integrum, justumque sacro de Oratore volumen condidit, atque edidit, in quo & frequenter, & graviter futiles, inane quæram Conciones, quàm Concionatores everberat? Mitto reliqua omnia, unâ, alterave ejus resse: à contentus. *a* An non eum, qui sacram Orationem seu ad lucrum, seu ad sui gloriam referret, vel materiam, formave Auditorum profectui minimè accommodatâ non tam conformaret, quàm deformaret, planè Concionatoris nomen amittere, solumq; esse sophisticam, vel, ut agebat Plato, coquinarium Rhetorem affirmat? *b* An longodædalis istis ullam aliam, quàm levis, jactabundi, circulantisq; Concionatoris appellationem indulget? an non illos, qui Auditorum utilitate post habitâ, id solum artificiosis descriptionibus agunt, ut eorum aures oblectent, suamq; facultatē ostentent, è sacro Concionatorum albo dispungit, atque inter Hæstiones, ac Poetas recenset?

Nicolaus Caussinus graves pœnas à vitio jarum fabris Concionum jure, meritoq; exigat.

314. VEtium nemò, quod sciam, nervosius, nemo uberius, nemo atrocius

*a* Lib. 4. c. 4. *b* Ibid. c. 9. *c* Lib. 8. c. 17.

cius huiusmodi adulteria Concionum, pollutosque Concionatores, quam N. colaut Caussin, luculentissimo de sacrâ, & humanâ eloquentiâ opere publicato, Apostolicoque planè spiritu, ac libertate, est persecutus. Ex quo ego, velut è munificentissimo armentario, præsertim è libro XV, majora quadam educeos tormenta, dimicationem omnem præliumque, victoria securus, tandem aliquando conficio. Sed prius vos ego omnes, amplissimi Patres, etiam atque etiam obtestor, ut Orationem è viro eloquentissimo depromptam paulo longiorem æque bonique consularis, ejusdemque singulari præstantiâ, atque operæ præterio fastidium omne, si quod erit, penitus arceatis.

*Sæpenumero mirari soleo (ita apud eum loquitur Theophrastus a) depravatam istius eloquentia licentiam sine fronte, & oculis. Nihil enim aut veretur, aut videt. Heu quò rerum devenimus! Ecclesias pendè ipsas in scenas, & Conciones in theatrales ludos nituntur convertere. Ignoscant mihi sepulti piorum manes. Sed puto, eorum cineribus, si quis modò sensus est, inuri dolorem, quum hac jactantur in templis, qua melius inter ludibundas aures in circulis, veletiam theatris narrarentur. Nobis certè adolescentibus dicebatur à Magistris eloquentia, Athenienses quum ludos gladiatorios, malo vicinarum urbium more, & exemplo, in suam urbem admittore percuperent. Demostrem, qui tum ferebatur in eâ Repub. clarissimus, graviter obstitisse. Quò enim, ajebat gladiato-*

diatores cum misericordia, qua in urbe vestra  
 (Athenienses) delubris, & aris colitur? Vel  
 cruentam illam hominem lanienam expellite,  
 vel certè aram misericordie, qua pro vestris  
 stat oculis, evertite. Neque enim fas est, ista, qua  
 moribus disjunctissima sunt, iisdem sedibus com-  
 misceri. Mihi verò idem in re haud multum dis-  
 simili contingit exclamare, quò mihi fabula cum  
 veritate: quò mihi phalera verborum cum san-  
 ctimoniâ? quò cum igne vigili, & tremendâ  
 Christi arâ Suenorum, & Satyriscorum lusus?  
 Ite, primùm sacras imagines è Templis convel-  
 lite, ignes extinguite, aras subruite, tollite mihi  
 istam speciem plenam gravissima sanctitatis,  
 qua vel impiorum sensus tacito quodam maie-  
 statis fulgore perstringit. Vel certè si pudet tolle-  
 re, tot religionis nostra pignora, qua contra va-  
 nitates istas clamant, obnubite; tum fabulas  
 narrate: quanquam terram ipsam piè sancteque  
 consecratam, nisi eradatis, ad has voces indig-  
 natum iri crediderim. Fuit quondam tempus  
 illud, quo instar gravissima matrona, sacra in  
 publicum procedebat eloquentia. Nunc autem,  
 pudet dicere, sed piget tacere, hac, ut levis mere-  
 tricola, se lenociniis, & fucis insinuat, haud e-  
 nim negat, quòd ipsa talis sit, nec, si velit, possit;  
 nec, si possit, velit.

315. *Quin* audiet statim: Radix tua, & gene-  
 ratio tua de terrâ Chanaan: Pater tuus A-  
 morrhæus, & mater tua Cethæa, & quando  
 nata es in die ortus tui, non est præcisus um-  
 bilicus tuus, & aquâ non es lota in salutem,  
 nec sale salita, nec involuta pannis. *Qua*  
 enim

enim radix Chanaan, nisi Gentilitas? ecquid pater Amorrhæus, nisi, quem sibi fingunt auctorem, & Deum eloquentia, Mercurius aliquis, aut Hercules Ogmius? Ecqua Cethæa mater, nisi Ethnicorum Sophistarum Schola? Quid umbilicus minimè præcisus & aqua salutaris, ac salis, pannorumq; inopia, nisi sordes, & stultitiam, & nuditatem, istius denique impudentis turpitudinem prædicant? O mores? adeone generosus ille sanctorum Patrum spiritus extubuit in nobis, ut pudeat eos agnoscere, qui nos tamen (si modò Christiani sumus) in Christo genuerunt? Scilicet pudor est, cum Petro, & Paulo, cum Matthæo, & Ioanne loqui; sunt enim barbari, & linguâ voceque absoni. Qui igitur diurnis, nocturnisque terendi manibus, qui apud molles cathedras appellandi? Philostrati, Ovidii, Plinii, Plutarchi, addite etiam Petronios, Apuleios. Ita illi ipsi, quos æternis tenebris sepelire oportuit, prodeunt non in scholarum umbracula; jam enim commune est, sed in suggestum Concionatorum, & in hanc lucem Christiani nominis, quam ipsi, si reviviscerent, auctores non auderent intueri. Tertullianus, libro de Idololatriâ Ludimagistros, qui fabulas Poetarum

“ docent: affines esse, ait, multimodæ idololatriæ. Primum quibus necesse est, Deos nationum prædicare, Numina, Genealogias, Fabulas, ornamenta honorifica, quæque eorum cautiare, tum solemnia, festa que eorundem observare, ut quibus vectigalia sua suppetant, ipsam primam novi discipuli stipem, Minervæ, & Honori, & nomini consecrare.

create. Quo igitur in numero fabulosos Concio-  
 natores censuisset? adedne sacrarum Literarum  
 fontes exaruerunt? Adedne celestis eloquentia  
 flumina sunt exhausta, ut à Luciano, & Hero-  
 doto, & Pausania, & si quid est istius farina ho-  
 minum, quarendum sit, quid dicas, aut quo-  
 modo concioneris? Audiuntur illi sacris autho-  
 ribus frequentius immixti, laudantur eorum  
 sententia, & loquuntur mortui in Christiano-  
 rum pulpitis nonnulli, quos vivos vix Epicuram  
 admisisse. Commiscetur Christus cum Orpheo,  
 ut in Alexandri Imperatoris Larario Plato: At-  
 ticus cum Paulo, cum Petro Thucydides, & Lu-  
 cas cum Apollonio. Praclaram scilicet mixtu-  
 ram! & quid restat, nisi ut Deiparam quoque Vir-  
 ginem cum Helena confundamus? Absit verbo  
 invidia; sed timendum est, ne qua hic Celestis  
 ira lateat, quã nostri sensus satis non agnoscant.  
 Audio tonantes minas: a Venite confunda-  
 mus linguam eorum. Ecquid aliud sunt, quã  
 lingua miscellanea, & confusa, tot profanorum  
 auctorum idiomata? quos certè qui, spretis Ca-  
 tholicis Scripioribus, conantur ingerere, Ba-  
 bel astruunt, quem Deus spiritu cris sui ex-  
 sufflabit. Deinde plaudunt sibi miseri, quasi  
 pulchri sint & beati, quod ab imperitis fortè ado-  
 lescentibus hæc eorum plausibus celebretur elo-  
 quentia. Heu quàm carè leves illi fumi gloriola  
 constabunt, nisi fortè satis magnum presidium  
 arbitrantur in sua eloquentia positum, ut se  
 adversus tremendum summi iudicis Tribu-  
 nal defendant, quum ab ipsis dæmonibus  
 accusabuntur, quod spreta Literarum  
 a Genes. II. sacra

sacrarum maiestate plenâ sanctissima eruditio-  
 nis, ad nugas, & quisquiliâs deslexerint, qui-  
 bus ne Adonidis quidem horti, quos ipsi memo-  
 rant, magis steriles unquam fuerunt. Sed alia  
 est ratio eorum, qui hac parcè, & sapienter u-  
 surpant; alia eorum, qui totas Conciones his de-  
 liramentis infarciunt, qui debebant hoc fulmen  
 " Baruch: attendere; a Filii Agar, qui exqui-  
 " runt prudentiam, quæ de terrâ est, negotia-  
 " tores terræ, & Theman, & fabulatores, &  
 " exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ;  
 " viam autem sapientiæ nescierunt, neque  
 " commenti sunt semitas meas,

316. Deinde post aliquot paginas: At vos  
 (inqui) qui hac laudatis, vestris moribus, &  
 ingeniis semper utimini. Si quando enim vobis  
 res divina tractandæ sunt, tantum abest, ut fa-  
 cultate quadam orationis med ocri sitis conten-  
 ti, pensculatè soleptis cunctas voculas examina-  
 re, numeratis apices syllabarum, carvetis, ne  
 quid hiulcum, aut protritum excidat, contu-  
 maces syllabas assiduo pumice lavigatis; deni-  
 que in eam eloquentiam cum vestris phaleris  
 prolapsi estis, ut pudeat vos Dominum Iesum  
 Salvatorem appellare. Sordent vobis Ecce-  
 siastica vocabula, quæ iam per tot secula à san-  
 ctissimis viris sunt usurpata. Trinitatè, Baptis-  
 mum, & Missam quaritis apud Tullium; si non  
 inveniuntur, quidlibet potius per longos verbo-  
 rum circuitus inveniatis, quàm ficum ficum,  
 & scapham scapham appelleris. Quanam ma-  
 lum? est ista eloquentia inimica veritati? Quis  
 dicam de tot dictionum figuris, minutulis illis  
 & Baruch. 3.

quidem, & saepe nullis, quibus ad nauseam distinguitis orationem? quid de quadrigis albis, vestris, inquam, periodis (sic enim audio iam appellari) fluunt vobis ad numerum erotundati verborum ambitus, scitissimis clausulis comprehensi, quidlibet perpetrandum potius, aut ferendum, quam una periodus de suo circulo excidat. Alia aliis ingeruntur tota ductiles, vel potius è torno recentes, qua putidam, & anxiam vestram diligentiam, vel tacentibus nobis, arguunt. Accedunt tot excursiones, tot descriptiunculae, tot historiae, ab extrema saepe India petita, tot ignota beluae, tot flores invisae, tot gemmae non magis indigenae, quam vobis nota, quae cum mysteriis nostrae religionis conferruntur, ubique quanto frigore, non dico, sed nihil a iunt in Rhodopaeis nivibus esse frigidius.

317 Rursum infra. Non sunt (inquit) Hebraeae, sicut Aegyptiae mulieres: haec si quidem in lectulis eburneis inter stultas delicias pariebant, illa in Sole, & pulvere penè inter ipsa onera partu se levabant. Nescit tarda molimina Spiritus Sanctus Non sunt, ut Dionis Prusei, & Maximi Tyrii, Christianorum Conciones. Ille enim inter delicatarum umbras putidè scribantur, & anxie, repant in auro, & purpurâ commantur, fulgeant, scintillent. At nos, quibus astus diei, & pondus ferendum est, quibus crux, crux (inquam) predicanda, quibus toti perfidia, criminibus immergi peccatores excitandi, pun- gendi, fulminandi, quid habemus cum istis deliciis commune? Nam satis cotidianâ comper- tum illud habemus experientiâ, si quando ad  
istos

istos Concionatores, vel Declamatores potius  
 itamus, qui cultè, & putidè, & circumspèctè  
 loquuntur ad numerum, quæ ex scripto didice-  
 rant, redimus frigidis, quasi à marmorea statua.  
 Qui posset enim pugnare cum vitiis, qui totus  
 vinculus est, & adstrictus legibus numerosa ora-  
 tionis? quos imperus, & emissiones habebit, qui  
 ludit in circulis? quàm altè vulnus imprimet,  
 qui aureis, & picturatis utitur jaculis? non ve-  
 nit ad pugnam, ad pompam venit, expectatis ut  
 dimicet? venit, ut saltet. Qui in gravissimis  
 curis & cogitationibus exsudare debuerat ani-  
 mus, & alarum remigiis in Cœlum contendere,  
 inclusus fuit, ubinam? pudor est dicere, in par-  
 va Isocratis pyxide, quid tum? totus volutatus  
 est in unguentis: quorsum? ut pugnam adver-  
 sus hominum flagitia capefferet: præclara scilicet  
 armatura. Quid tum postea? descendit in  
 campum: quo exitu? levissimum vanitatis  
 cymbalum, nescio quid, tinnulum increpuit, &  
 excessit. Utinam minùs vera dicerem, sed ani-  
 marum damno experimur, quàm minimè suca-  
 ra sit hæc oratio. Nonne graviora studia his mi-  
 nutulis nugis obruantur? non obsessus animus  
 tenetur? non lingua constringitur? non audito-  
 res ipsi, qui multi sepe sunt, hebetes ad istum  
 tinnitum dormiunt? nonne qui boni sunt, indi-  
 gnantur? nonne qui improbi, & leves, modicè  
 titillati, sine fructu animarum discedunt? Veni-  
 sti in aciem, quorsum? ut luderet? non poterat  
 domi? Licebat tibi apud Rhetores desiderare &  
 linguam, si manus inaurare, nunc ferrum exer-  
 pendum est, quid stupes? amice ad quid ve-  
 nisti?

nisti? Ecce victus penuria, ecce fames: parvuli  
 petunt panem: non est, qui dividat, tu paleas  
 obrudis, paleas Ægyptiorum. Venisti in va-  
 letudinarium ille ambitionis, hic avaritia, al-  
 ter luxuria sceleribus, & flagitiis totus cooper-  
 tus, erosus purulentus, calo & terris foetet us-  
 rendus est, secandus est, sanandus est, tu barbi-  
 ton pulsas: quasi verò his cantilenis possis hæc  
 demonia ejicere. Discedunt illi miseri in suis  
 malis stupidi, & plaudunt tibi quasi concinno  
 admodum Oratori, qui non clamosus sis, & ut  
 ajunt, rabiosus, tu interim dulcem veneni sor-  
 bitunculam ebibis, & te, & alios in discrimen  
 interitus adducis. En quò humana sapientia  
 nimis impensa cura, mentes obsessas rapit, dein-  
 de hæc non sunt timenda, non sunt increpanda?

318. Tandem in eos, qui in conc. onan-  
 do, non ad animarum fructum, sed ad hu-  
 mana, & privata commoda, ad honores, ac  
 dignitates potissimum grassantur, generosa  
 indignatione commotus, sic merito invehi-  
 tur: O curvæ in terras animæ! Tu igitur  
 Concionatorem tibi fingis, quasi aliquem ex  
 minutis caussidicis, qui venetur rumusculos,  
 qui ventiletur in Concionibus, qui leges ven-  
 dat, lucrosam denique, & sanguinariam exer-  
 ceat eloquentiam. Praclara scilicet species  
 Concionatoris, quem ament boni, timeant im-  
 probi, honestat Deus, ipsi revereantur Angeli,  
 dignus planè agonista, qui crucem ferat, qui fre-  
 mentis in se mundi pondus excipiat, qui inter-  
 cedat iniquitatibus hominum, infectum reddat  
 quicquid fieri non oportuit, velocissimi sideris

X

mors

more utrumque Orbem illustret, qui cum squallore, invidia, & arumnis luctetur, ad summum suo cum cruore, quum opus fuerit, fidem sanciat. Ego (adolescentes) optimum Concionatorem duabus maximè rebus niti existimo, virtute, & sapientiâ. Quod quum parum consideratè nonnulli pertendant, ab ipso impingunt limine, & toti deinde gravissimis merguntur erroribus. Videre enim licet istos levicales declaratores, quos pruritus ambitionis propellit in pulpita; quid putas eos sibi animo fragere, aut moliri? nati sunt ad Concionatorum munus,

**A** ut boves ad clitellas, aut ad sambucam calones, quippe etate adolescentuli, & gravissimarum curarum expertes, intra lusus, delicia, & nutriti, si ab incude doctoris umbratilis adhuc recentes duas, aut tres descriptiunculas, & totidem conquestiones, aut miserationes didicerint, statim involvant in onus ipsis Angelorum humeris formidandum. Tum eunt in silvam allegoriarum, sine delectu folia colligunt, locos communes devorant, & si quid ex Ovidii Metamorphosi, aut antiquorum Romanorum rebus gestis ad fidei nostra Sacramenta detortum est, hoc pro anemonis habetur; succedunt margarita Gallica, qua molles, & pellucidas orationis fimbrias scintillantibus radiis interstinguunt, modò aliquot Scriptura sacra locis leviter sint asperse, pro optimâ Theologiâ venditantur. Biblia scilicet evolvere, sanctos Patres

**B** legere, Oecumenicorum Conciliorum sancta, & canones investigare frigidum est, & otiosorum hominum. Nam longè mollius est iter,

rogeri;

recentium aliquot Concionatorum libros compilare, in quibus mirifici sensus, & ex augustiore Caballistarum sacrario petita commentationes, quæ quum dicuntur, oracula, non voces humana fundi videntur. Hinc hominum admiratione, doctrina opinio, & imperiorum stupor. At si in Bibliis, aut Patribus terendis consenses, quid aliud habebis, quàm communis doctrina choragium, quod millies ante te alii dixerint? Non vides novitatis desiderio prurire omnium auriculas, & doctos homines esse permultos, qui expectent arcana? Tu si vulgaria dixeris, solitudinem facies, & vastitatem. His delinimentis in fraudem inducuntur miseri, & peregrina, nescio qua, quàm avidissimè conquirunt, ut fastidiosas aures mulceant. Non vacat tunc cum Deo meditari, quid dicant; non est commodum cogitare, quomodo se in exemplar probitatis, & sanctimonia conforment, quomodo vitiis hominum medeantur, quomodo consulant pauperibus, quomodo ad virtutis amorem suos Auditores pelliciant. Hac enim antiqua sunt, & exoleta, student sapientia, exspoliant vellus aureum, mox quæ vanissimè didicerunt, turpiter obtrudunt, & alii quidem pecuniâ, alii, quod levius est, gloriolarum fumo, quasi in nudinis mancipant, non dicam verbum Dei, non enim prædicant, sed animam suam, quam his artibus demon licitatur. Tum si steterit fabula, & secundo cursu fluxerint Conciones, remissius vivunt, ne molliùs, & curis quidem abdicatis, in forum se ludibundi hominum circulis, res inutiles tractant, publi-

*cis epulis libenter intersunt, hic quicquid habent auctoritatis, naufragâ jam virtute deperdunt in scurrilibus. Agendum expecta, ut illi messes aurea veniant in sinum, ut Christo lucrantur animas, ut calo manipulos inferant, ut ignem spargant in Christianorum mentibus, qui sunt in divinis Scythica hyeme frigidiores. Hucusque Caussinus sapientissimè.*

*Omnis acerbitalis invidia ab hac actione depellitur.*

319. **S**ed quorsum, inquit aliquis, tot scriptorum centones frustra huc tracti, atque in acervum ita congesti? quorsum tam multis alienis paginis, quasi cotogaratâ stipe, tuæ Orationis molem, scilicet tuam, augere? quorsum tam variis antitribus, atq; mæandris disputationis, quam incœperas, filum, ductumque temerè interrumpere, ac perturbare? Imò verò nihil commodius, aut opportunius, Patres amplissimi, cecidit, quàm ut, quum antea solis munitus rationibus, cum Adversariis conflixerim; deinde locupletissimorum cohortem Auctorum quoque, quos antefiganos doctrinæ de verâ eloquentiæ formâ, quam ab eorum corruptelis vindicavi, securus sum, cogerem, quadratoque agmine tempestivè in aciem educatam. Videbunt quippe Adversarii mei, neque inviti jam fitebuntur, stare me in hoc prælio non solitarium, sed tam multiplici virorum quavis sapientiæ, ingenii, eruditionis, prudentiæ, & sancti-



fuisse perstrictos? imperitos, vecordes, stolidos, insanos, amentes, excordes, ac fatuos nominatos? Ut ita sit (quamvis ego huiusmodi vocabulis tam cuspidaris ne corruptos quidem Concionatores agitavi) frigidus, & ridiculos ante me nominavit Aristoteles; ineptos Cicero, & Perpinianus; scdè, ac manifestè stultos Nigronus, insanos, atque amentes, eoque devenientes amentia, ut pudeat non insanire; nec non pleas deliramentorum Fabius, & Caussinus. Dolent, se passim arrogantes, temerarios, furiosos, impudentes, moriones, mimos, histriones, meretricia patronos eloquentia, flagitiosos atque infames fuisse vocatos? Ut hinc quoque conniveam, apertamque exaggerationem dissimulem; intolleranter arrogantes ante me vocavit Perpinianus, bacchantes Fabius, ebrios homines, ipsamque ebrietatem Seneca; perditos, & furiosos Caussinus, effeminatos, atque enervos, intemperantes, lascivos, atque impudentes idem Fabius, Tacitus, Guinifius, & Perpinianus; mimos, & obscenos Demetrius; histriones, & meretriciis ornatos vestibibus rursus Tacitus. Quid amplius? Potentissimæ delicias orationis iisdem expröbravit Seneca: tibicinum choro eosdem accensuit Musonius; simias Ciceronianas dixit Nigronus; Cerbero dignas offulas ab iis compositas pronuntiavit Guinifius; tanquam Christianæ desertorum religionis assecclas, deserendæque periculo, atque infamiae

miæ obnoxios admiratus est, ne dicam, execratus Perperianus; ad extremum, velut eloquentiæ carnifices ad remos, ad bestias, ad Tartara rapiendos, contentis lateribus, exclamavit Cassinus. Et quidem hisce omnibus perhonorificis titulis profanos, ac vanos ipsos Oratores à viris & dilectissimis, & moderatissimis fuisse nobilitatos accepimus; quorum certè similes, aut pares, maximam partem ab hac mea actione absunt quàm longissimè.

821. Num verò sacratum prævaricatores Concionum blandiùs excepti sunt? Aut ego fallor, Auditores, (& utique non fallor) aut quicquid convicii, & dehonestamenti fundere calamus, vel lingua potuit, id in eos omne viri gravissimi, atque sanctissimi prolixè effuderunt. Curvas esse in terram animas, boves ad clitellas; citharâ, & cantico personantes; histriones, comædos, saltatores, parasitos, mimos, & circulatores asseverâruar, coquinarios Rhetores, & caupones, molles, & effeminatas cathedras tradiderunt; Ecclesias in scenas vertere, Conciones in theatrales ludos commutare; quicquid habent auctoritatis, naufragâ virtute in scurrilibus deperdere; rutrim Babel, quam Deus spiritu oris sui dissabit, extruere; spretâ sacrarum Literarum majestate, ad nugas, & quisquilias deflectere, se, & alios in salutis discrimen adducere notaverunt; velut adulteros, ut meretrices, ut concubinas, ut luxuriantes mulieres dede-

corârunt; tanquam Ecclesiarum evertores,  
 tanquam *athearum* mentium prolemina-  
 rores, tanquam multiplici affines *idololatriæ*,  
 quibus terra ipsa succenseat, Dei ira infe-  
 sta sit, sacra templa, nisi prius divorum ima-  
 ginibus, aut convulsis, aut saltem obnup-  
 ris, intercedant, condemnârunt, diraque  
 imprecatione defixerunt. Rogo nunc, ob-  
 restorâque Adversarios meos, ut gemina his  
 meâ ex Actione depromant. Erunt sine  
 dubio haud parvo leviora, placidiora, &  
 suaviora. Quid igitur mihi potest hæere  
 peccati, si tantorum virorum vestigiis insti-  
 ti? quid piaculi, si tot Patres sanctissimos  
 sum imitatus? quid labis, si tam exploratis  
 viæ ducibus me credidi? quid noxiæ, si  
 vituperandi formulas ab iis didici, si mu-  
 tuatus sum, si expressi, si nomina, verba, &  
 phrasas exscripsi? si minùs, quàm illi, seve-  
 re, aspereque in Adversarios investus sum?  
 Omnes enim, quos laudavi, Scriptores, ut  
 legenti, consideranti que perspectum est,  
 vel idem, quod ego, crimen, vel minus,  
 quàm ego, explodunt; ubi que tamen ejus-  
 modi, ut vitiosas, quoque meorum Adver-  
 sariorum quum Orationes, tum Concio-  
 nes iisdem omnino calculis necessariò,  
 etsi tacitè multo tamen magis detestentur.

322. Leguntur horum omnium, quos  
 memoravi, Auctorum opera, & libri; editi  
 sunt, vulgati sunt, in manibus omnium  
 sunt, sine ullâ invidiâ teruntur, sine ullâ di-  
 cacitatis notâ circumferuntur. Quo igitur  
 tur

tur jure hanc mihi aliquis aspergat, qui stylo multo minus, quàm illi, austero præliatus sum? Quin multi quoque eorum, etsi depravatam Oratorem tam acriter carpunt, non tamen de serio Oratore, sed de scholastico potius Declamatore, aut commentitio Oratore loquuntur. At ego, quod semper professus sum, solos Oratores serios, & graves, quum in sole, & pulvere, in causis magnis, in foro, aut in curiâ dicere necesse habent, meâ oratione comprehendi. Quanto igitur adhuc vehementius in hos imperum facere jure optimo potuissem? Accedit, quòd major ferè pars Scriptorum, quos protuli, iis in locis, in quibus ineptos Oratores, Concionatoresve tam durè tractant, neque Oratorem, neque Declamatorem agunt, ut ego; sed temperatum differendi characterem ex destinato sequuntur. Quanto igitur magis hæc mea Actio atque Oratio, quæ in contentionis arenam descendit, cui, ex lege omnium Rhetorum, & major dicendi libertas, & acrior instanti vis conceditur, etiamsi multo adhuc acerbius in hac disceptâsem, ab omni mordacitatis offensione esset immunis?

325. Postremò, etiamsi nullum mihi defensionis suppeteret clypeum, validissimum mihi suâ auctoritate præbet disertissimus Causinus. Stylum enim vanos in Concionatores stricturus, injecto que de cujusdam adolescentis declamatione potius, quam

quàm Concione, cui imperiti admodum  
 plauserant, sermone; Dicam equidem (in-  
 quit) quod censeo pro mediocri usu. & f. c. l. a.  
 te, quam mihi triginta ferme anni in his Con-  
 cionum laboribus exacti attulerunt. Nihil au-  
 tem in hominem dictum velim quem misera-  
 tione potius, quàm castigatione dignum puto,  
 & fortasse seriis eget monitoribus, quibus ad  
 veram sapientiam possit informari. Vos de re  
 quicquid est, non de personâ accipite. Idem  
 ego quoque jure usurpaverim, caverimque  
 hoc loco, Auditores, nihil à me in ullum  
 Oratorem, Concionatoremve, aut alium  
 quemcunque mortaliū dictum, sed ex  
 more tantum declamandi, Adversariorum  
 nomine ipsa vel artis non bene cognitæ  
 peccata, vel naturæ vitiositates fuisse repre-  
 hensa. Quin imò in ipsomet hujus Actio-  
 nis vestibulo quàm tempestivè, quàm ex  
 destinato, quàm peripicue denunciavi, me  
 ita in hac causâ accusatoris partes suscipere,  
 ut de Adversariorum honore, ac reve-  
 rentiâ nihil penitus detrahitum vellem, quos  
 equidem, etsi pro eo, ac par est, maximè co-  
 lo, venerorque, ficto tamen pugnæ simula-  
 cro non minùs amicè, quàm liberè, aggressus  
 sum? Verùm, licèt vitiosas reprehendi  
 Conciones non propter tamen nostri seculi  
 fut prudenter idem etiam Causinus de-  
 nunciat) penuriam accuso, quod sanè ex om-  
 nibus Ecclesiasticorum Ordinibus generosissi-  
 mos habet Concionatores, sed pono in conspectu,  
 quæ possint evenire, & procul dubio multu  
 eve.

evenerunt, quorum funestis exemplis sapere debent adolescentes. Ex quibus omnibus primum dicacitatis crimen satis dilutum puto, Auditores.

*Huius Stylus Actionis copiosa sui advocacione utitur.*

324 **R** Idebunt præterea Adversarii fortasse, quod dum Tullianæ perduelles eloquentiæ tam graviter urgeo; dum acuminum, ornamentorumque intemperantiam tantopere insector; ipse ego & minime omnium Ciceronianus in stylo sim, & ab iisdem acuminibus, jocis, argutiis, salubusque nequaquam abstineam; tum ab illâ quoque admirabili Tulliani artificii normâ quàm longissimè deflectam. Audio opprobriantes. Deus mentem vestram sospitet, egregii monitores. Sed nunc, quæ id criminis à me depellam, quæso vos, diligenter attendite. Si Tullianum stylum arctis illis, per angustisque cancellis, quibus illum adolescentuli in Rhetoricis Ciceronis institutionibus parum versati, ejusdemque & mentis, & præceptorum ignari, in Senatu verò Latinitatis omnino hospites, frequenter includuat, definiamus: ut, si quod nomen, aut verbum à Tullio prætermisum, aut quod sciamus, ab eo non usurpatum, quanquam alterius probati Scriptoris auctoritate satis commendatum, nostrâ

strâ oratione excipiamus; de ejusdem illicet stylo penitus actum sit; ego sanè Ciceronianus non sum, qui alias quoque voces, quanquam bene Latinas, præter Tullianas, minimè negligendas existimavi. Sed licet in pueris hujusmodi religio nunquam à Tullio, ne in uno quidem vocabulo abeundi ferri possit, valdeque etiam ad defectam Latinitatem addiscendam, probeque imbibendam sit opportuna: at in iis, qui positis infantia crepundiis ex puerilis imperitiæ, rudisque literaturæ pæphebis excelsurunt, minimè esset laudabilis, atque in vanam prorsus, faruamque superfluentem degeneraret. Frustra verò quam plurimi, frustra genuinam M. Tulli, germanamque sobolem, quod nonnullas ex eo phrasas, ac nomina anxie corraserint, identidemque certum quendam verborum ambitum ambitioso illo symmate, esse videatur, ambitiosius, puridiusque terminârunt, jactant, atque mentiuntur. Aliud enim longè, ut probè nostris, Patres sapientissimi, longèque diversum est, Ciceronianum esse, quàm in solius Ciceronis verba jurejurando se se adigere, ejusdemque codicibus eorum se quodam religiosissimo nexu obstringere, ac devovere. Sin autem Tullianum stylum, ut omnium ætatum sapientibus, atque eloquentiæ antesignanis semper visum est, illum statuimus, qui modò Latinis utatur verbis, etsi non Ciceronianis (ut omittam M. Tullium neque quacumque de re scripsisse, neque eorum, quæ scrip-

scripsit, voluminum vel decimam partem  
 jam extare) Ciceronis tamen in dicendo vim  
 præcipuè, ac robur; tum in committendis  
 vocibus concinnam suavitatem imitatur;  
 tum eximium Orationis artificium, ac ceri-  
 màmque persuadendi rationem, tum rapidi  
 instar fluminis, beatissimam copiam, undas-  
 que ut ita dicam, incitatissimæ amplifica-  
 tionis, planè decumanas satis commodè ex-  
 primit, atque evolvit, ingenuè id possum,  
 verèque profiteri, datam à me complures  
 annos haud indiligentem fortè operam, ut  
 quàm minimè, quoad mihi præ mea inge-  
 niu renuitate liceret, ab hac præstantissima  
 styli forma discederem. Ut ut tamen de meo I  
 Latino stylo est, nihil is, ut ajunt, ad Bac-  
 chum; quum ego non tam de Latino stylo,  
 aut de Ciceroniano caractere dicendi,  
 quàm de incorruptæ eloquentiæ genere,  
 quæ apud quosque populos, & quavis in  
 lingua adhibenda sit, perpetuò verba fecerim.

325. Ad acuminum autem frequentiam  
 quod attinet; si illam ego, de qua alios quàm  
 maximè objurgavi, imprudens, aut volens  
 admisi; fui equidem vanissimus, atque a-  
 mentissimus, qui chordâ eâdem, ac cæteri,  
 oberrarim, eodémque intemperantiæ vitio,  
 quod principio descripsi, ac deinceps casti-  
 gavi, laboraverim. Ego verò testor, Audi-  
 tores, præcordia mea, testor conscientiam  
 animi, semper me eam in curam toto incu-  
 buisse pectore, ut causam explicarem, ac

promoverem, omnesque semper cogitationes in Auditore percellendo, commovendoque penitus haberem defixas. Sed quom quaestioni ipsius negotium, gravitateque perattentè meditarer, astutè quodam mentis mecum pervoluerem; tum subito omnis ille, quem usurpavi, acuminum, ornamentorumque apparatus, sponte se offerent, non vocatus, hærènsque ultro dicenti, mentis præeuntis, rerumque indagatione occupata, pressa vestigia, tanquam famulus perquam modestus, & moderatus, à tergo est subsequutus. Quare si quid acutius, hilarius, argutius, pueriusve, quod persuasionis vim aliquo modo extenuarit, vel omnino sustulerit, per incogitantiam effudi; erravi, erratum revoco, illudque tollendum, atque antiquandum affirmo. Quod si è contrario id unum mihi, ut persanctè enuntio, consilii semper fuit, ut verba omnia, & nomina persuasioni aptarem, eidemque cogere, quantum conitari possem, ancillari; nihil mei gratiã dicerem; omnia causæ tribuerem; atque ad eò rota illa, quam tenuis, leporem, venerumque moderatio, persuasioni nihil incommodavit, sed potius velificata est, neque præposterè vos inter audiendum, in mei aut ingenti, aut artificii contemplationem abduxit; sed contra potius ad rem ipsam per quam attentos defixit; paulatim argumentis incitavit; mox ad vosmet ipsos mihi dedendos, vestrumque assensum meæ adjungendum orationi in-

sam.

flammavit: redite, obsecro, in memoriam, hanc acuminum, ornamentorumque moderationis tesseram, ipsissimam illam esse, quam hujus disceptationis principio consecrandam dixi, laudavi, & prædicavi.

326. Hoc verò illud demum discrimen est, Auditores, quod inter me, meosque Adversarios potissimè intercedit: quòd illi ornatus, acuminumque præcipue, compediti servi sunt; contra ego liber omninò, me que prorsus juris non me istis, sed ista mihi mancipio. Illi persuasionem acuminibus subjiciunt; ego imperare jubeo. Et sanè ut jocis, atque argutiis in causa gravi, seriaque, quò acriter urgendum est, atque ex animo, nervoseque agendum, intempestivè admodum, perversèque indulgetur; ita quum ludicra retrahatur, quum joci ipsi, sales, & ludi explodendi sunt, joci salibusque commodissimè irridentur. Joci enim in re seria pluma leviores sunt. ast ad ludicra, ut ita dicam, confodienda, tela sunt, ferro quolibet, chalybèque infestiora. Expendendum nimirum est, an joci, atque acumina, peculiari fini singulis in locis proposito, quem talis narratio, argumentatio, amplificatio, vel quæcunque alia particula spectat, quadrent, congruant verum verò, ubi congruerint, si leviter his perspergatur oratio, ferrea in arma vertuntur. Quæ enim resutantur, aliquando sunt ejusmodi vallata præsidis, expugnata adèd difficilia, veritasque colore ita infucata, ut veritatem ipsam minime

A

B

nimè sinant internoscere. Ad hæc ergo-  
 vertenda aliis machinis, quàm jocis, uten-  
 dum, argumenta scilicet firmissima admo-  
 vanda. Nonnunquam autem, quæ rejicien-  
 da sunt, ita infirma, & imbecilla; ita ablo-  
 na, præposterâque videntur, ut levissimâ  
 aurâ facilè difflati, & dissipari queant. Ad  
 hæc igitur excerpanda dicitur is, salibus, jo-  
 cis, atque argutiis, si parè interferantur, ni-  
 hil opportunius. Idcirco ipse quoque elo-  
 quentiæ patens Cicero locos in tempore nõ  
 solum usurpandos docuit; sed etiam suis in  
 Orationibus, quando Adversariis illuden-  
 dum erat, non minùs strenuè, quàm falsè;  
 nec minùs decorè, quàm prudenter (quic-  
 quid morosi aliqui vitiligatores invidè ca-  
 villentur) moderatè interposuit. Quum er-  
 go redundantium acuminum, atque orna-  
 mentorum patroni decreta tam multa aded  
 absurda, aded rudicula, aded inania pro-  
 mant in medium; quum opinionum, nescio  
 quæ, portentosa ita deformia confingant; jo-  
 cos profectò, sales, atque acumina ad hæc  
 profliganda, non potui sine piaculo negli-  
 gere, aut prætermittere. At quum seriò ali-  
 quid aggressus sum; quum gravem animi  
 motum studui excitare; quum machina-  
 menta amplificationum fabricavi: notate,  
 an hisce nugamentis locum dederim, ac non  
 potius severe iisdem mihi penitus interdi-  
 xerim. Verùm an ego hæc ornamentorum  
 moderationem servaverim, atque id, quod  
 maximè molitus sum, usu ipso perfecerim,

vestrae prudentiae, Auditores humanissimi, vestroque iudicio tacite perpendendum relinquo.

327. Sed quorsum ego huius Actionis meae patrocinium suscipio? quid huius structuram operis, stylumque tueor? Quasi verò meo stylo, meo ingenio, meo artificio, atque eloquentiae advectionem commodarim, **A** ac non magis ad suam dignitatem, decusve legitimam, absolutamque dicendi formam, hoc est, Tullianam afferendum omnes intenderim nervos, viresque omnes periclitatus fuerim. Ego sane, si quid habent Adversarii, quod hoc in opere accusent, dampnentque, libenter audiam, libentiusque, ubi peccatum agnovero, expungam. At nunquam, censeo, valide me, fortiterque refellent, aut frangent, nisi Ciceronianam differendi rationem adhibuerint. Nempe si potiri victoria volunt, mea argumenta, meas rationes, meas amplificationes argumentis, rationibus, atque amplificationibus, si non potentioribus, aut saltem paribus arietent, convellant, dissolvant, labefactent, disturbent, necesse est. Sin autem pergant in iis, **B** quas in me edent, schedis, paginisque more suo, argutarum, sensiculorumque intemperantiae, praeclearissimo munere apposite scribendi, dicendique ad persuadendum posthabito, connivere; si nulla alia ad me dejiciendum tormenta, quam futilium anominationum intorquebunt; si nullam aliam impressionem, quam frivolorum acuminum

minum malè agglutinatorum, dabunt: istis certè styli, dictionisque manifestis corruptelis à persuasionis fine tam longè adhuc peregrinantes, fidem, vel me tacente, facient, meritò me de illis esse conquestum, séque ineptè prius ad persuadendum dicere, ac proinde vitioso quoque eloquentiæ genere inquinatos, ingeniique ingenti imbecillitate, atque inopiâ pressos, in ludo adhuc scholastico turpiter diversari.

328. Quod si contra ad meam istam Actionem proterèdam, Orationem suam, castigatâ, remotaque sensiculorum intemperantiâ, argumentorum firmamentis, molli, atque affectuum præsidis instruxerint, totòsque se se ad persuadendum contulerint: tum enim verò meam hanc omnem disputationem multò adhuc magis confirmabunt, planeq; ineluctabilem reddent. Quid enim? si tum Adversarii Orationes suas aptas ad persuadendum conformaverint: quis non animadvertet, eos jam ex illis leporum, acuminum, ornamentorumque lascivientium pratis ad Ciceronianæ eloquentiæ castra, arcemque confugisse: tum ex mollibus, delicatisque declamatoribus, ac nugatoribus in Tullianos, hoc est, viriles, & masculos Oratores demigrâsse? At ego, quanquam omnium Tullianorum Oratorum postremus, Orator tamen Tullianus qualiscunq; quid possum, quæso, pro Tullianorum eloquentiâ dimicans, à Tullianis meruere Oratoribus? Tulliani quidem Oratores multa,

non

non dubito, errata, multa in arte[m] dicendi peccata, multa styli piacula hoc in opere observabunt, perstringent, condemnabunt. Verum ita damnabunt, ut meliore allatâ Oratione, atque ad persuadendum multo accommodatiore facultate, qui sint ea expianda piacula, suo me exemplo, ductuque præclarè docturi sint. Mea verò errata expungendo, atque emendando, haud obscure admirabilem suam in persuadendo vim, nervumque patefacient; nec non eadem quoque operâ meâ hâc disputatione perfectum, persuasumque quod cupiebam, revincant. Quid enim aliud ego studui ostendere, aut persuadere, quam non meam quidem dicendi copiam, sed Tullianos Oratores, atque Concionatores palmaris eloquentiæ esse parentes, & coryphæos, in persuadendo vehementissimos, in arduis Orationibus, Concioni- busque architectandis ingeniosissimos, in afflandâ Auditoribus voluptate suavissimos, ac jucundissimos?

329. Hæc habui, viri sapientissimi, quæ tota hac de eloquentiæ gravissima causa in medium proferenda existimavi. Hæc me ardens communis boni propagandi studiû; hæc me publici mali longè, latèque tam eximia multorum ingenia vitiantis commiseratio; hæc me tabidæ luis tam diu grassantis, in præsentia tandem aliquando exterminandæ, vel saltem coercendæ incredibilis sollicitudo coegit, non tam ex ore, quam imò ex animo medullitus promere. Certè qui-

quidem nisi me sperati fructus magna aviditas decipit, hinc rationum inexplicabiles nexūs, hinc argumentorum inextricabiles catenæ, ac laquei, quemcumque sanam informatam mentem, atque, utentem modò rationi obsequatur, modò sui compos sit, modò denique homo esse velit; facile adigeant dare veritati manus, deque puerili, si qua imbutus est, sententiã nullo negotio decedere.

330. Neque tamen sum nescius, nonnullos perturbationum quodam æstu fluctuantes interdum reperiri, qui, quòd omnem planè rationem repudient, malèque insitum morem tueri mordicus; tum quæ semel arripuerunt, placita, & decreta fovere præstatè velint, non argumentis bonam ad frugem, usumque sint revocandi; sed risu potius, pedumque suppositione refutandi. Atqui ego opiniosissimos hujusmodi homines jam non alloquor, Auditores; sed tota mea hæc Actio vos tantum, quotquot huc convenistis, viros graves, prudentes, doctos, perspicaces, rationumque vim, ac robur non minus facile expedientes, quam seriò amplectentes compellat. Cur enim aquam, ut ajunt, tunderem in mortario, oleumque, ac operam cum istis capitonibus perderem, ac non vobiscum potius, quos honestatis amor capit, decori cura excitat, communis mali angor vexat, tantam de re philosophandum arbitraretur?

## PERORATIO

AD ORNAMENTORVM IN-  
*temperantiam vitandam ad-*  
*hortans.*

331. **V**erum enim verò piget me jam  
longius in hac causa tempus  
extrahere dicendo, Patres am-  
plissimi. Satis enim cordatis, ac prudentibus  
viris, quam sit hæc limatulum Declama-  
torum, & Concionatorum Oratio ad persua-  
dendum penitus inepta; quam imbecillo  
subitæ ingenio; quam commentitiæ con-  
ciliatrix oblectationis; quam inanem ob-  
causam tam corruptum dicendi genus ada-  
maverit Adversarii, atque inixerint, de-  
monstravi. Jam verò libenter ego aspiciam  
illud os ad eò illotum; nunc frontem illam  
tam audacem, quæ hujusmodi genere tam  
absurdo, atque exitiabili Orationem scèda-  
re non erubescat, diligenter attendam. Quis-  
quamne, qui meatem habeat in potestate,  
tam importunæ æstro vertiginis percitus  
exister, qui hæc eloquentiæ formâ, (quàm  
deformi; quàm turpi?) apud graves, erudi-  
tos, sapientē (que Audtores dicere, quid di-  
co, dicere? canere potius, aut ludere non ve-  
reatur? Citharædus voluptatis captator, si  
vel unâ incontentâ chordâ stridat absurdè,  
omnium irrisione traducitur. A scopo lon-  
gius aberrans sagittarius, quot quantisque  
ludi;

ludibriis excipitur? In philosophicis disputationibus positum varians argumentum, aliòve trajiciens, pedum suppositione perturbatur. Et tamen hi artifices, ut suo poti-  
 antur sine, ut citharædus soni voluptate blandiatur auribus; ut histrio oculos detineat; ut sagittarius metæ tangat umbilicū, ut Philosophus in argumento ita ad amul-  
 B  
 C  
 sim insistat: quàm parum, aut prope nihil interest? quanto fœdiore notandi dedecore, quam effusa magis excipiendi sunt irrisione, qui in rerum & utilium, & honestarum tractatione tam magno intervallo à fine discedunt Orationis? A dicendi scopo isti toto, quod ajunt, calo deflectent, abibunt, digredientur; & sine stomacho, sine conviciis ferent impunè. Facum veritati per summū ludibrium perpetuò oblinent, nusquam urgebunt, continenter errabundi discurrent; & placatis auribus exaudientur? A persuasionis callo in graviora ad eò momenti negotio tam longè delirabunt; & visibilibus temperabimus?

332. Sed quid ego de irrisione loquor? Alienæ rei curandæ præfectus, Caussidicus  
 A  
 aliquis, Medicus, vel Magister, aut quicumque alius, muneris, quo fungitur, migrans leges; quum clientis litem, ægrotivaletudinem, adolescentis ingenium pervertit; quàm severè carpitur? quantam subit vituperationem? Illicò vociferantur Theologi, conscientia recuperatores subito clamant, debere eos ex officio diligentem navare operam;

negligentiæ multam commississe, ac proinde multâ etiam, pœnâq; multâ multandos. Et Oratores, atque Concionatores tot animorum patroni, tot vitiorum medici, tot populorum magistri, munera hæc tam gravia si corrumpant, parvo piaculo obstringentur? At enim quid habent violata illa munera sceleris, si cum gravissimis illorum officiis componantur? Vicia illa sunt, & caduca; hæc æterna, atque immortalia: illa temporaria, atque infima, hæc omnem supergressa naturam, ac divina.

333. Quantam verò, quantam, Deus immortalis! Æterno devotus Numini Sacerdos concitat offensam, si sacraminus sanctè, si minus religiosè, curèq; procurer; quantum suscipit omnium ordinum odium? quantâ flagrat invidiâ? quam horrendi reus facinoris postulat iræ? Et tamen Sacrorum ignavio illa procuratio neminem ferè, nisi privatum hominem, attingit; hæc Oratoris, vel Concionatoris prævaricatio in publicâ redundat perniciem. Illa certis, restrictisq; limitibus terminatur; hæc non ad unam dumtaxat urbem, sed ad provincias, sed ad regiones, sed ad amplissima regna, ad ipsum denique orbem universum porrigitur. Et isti veræ perduelles eloquentiæ, etsi Jesu Christi innoxium sanguinem, salutem, & vitam omnium, per summam impudentiam ac nefas contaminent; satis suæ factum conscientiæ existimabunt? satis probè suo se functos munere arbitrabuntur?

334. O

334. O utinam, jocularis isti, corruptique  
 Concionatores, aliquando perspiciant, quid  
 Judici implacabili Christo Domino singula  
 sua nomina, membra, periodos, acumina,  
 sententias, vocem, gestum, multoque magis  
 mentis consilium, animique intentionem  
 A ad severissimam trutinam revocaturus sint  
 responsuri. Videant, quid causæ sint  
 allaturi. Videant, quam unquam veram, ac  
 B tutam excusationem poterunt excogitare;  
 C quod animarum *Zelum*, suo ex pectore ex-  
 pectorarint: quod pietatem, religionemque  
 neglexerint: quod dæmonis ditionem am-  
 plicati permiserint: quod tanto Christia-  
 norum sanguine tam atrocem pro Tartari  
 foribus carnificinam hinc etiam exerceri spe-  
 ctarint, nec sermo prohibuerint: quod Orci  
 fauces amplius semper dilatarı viderint, ne-  
 que strenue repugnarint: quod Dei, San-  
 ctorumque laudes inepte celebrarint, clau-  
 D culumque ad se, manifesti plagiarı, levoca-  
 rint: quod Templorum cultum tam impu-  
 denter violari passi fuerint: quod sacrosan-  
 ctum Jesu Christi Evangelium suis argutiis,  
 scissiculisque elevarint: quod fabulis, nu-  
 gis, facta Ethnicorum doctrinam sæpenume-  
 ro profanarint: quod haud raro ridicule  
 quoque, mimicaque levitate tractarint quod  
 E plerunque castum, inutileque reddiderint:  
 denique quod amplissimum Apostolorum,  
 ac Cælestium Legatorum munus, ut sui  
 gloria ambitiosè quærerent, omniumque  
 in se amorem contraherent, non impleve-  
 rint,

rint, sed ludificaverint; non repræsentaverint, sed reapte contaminaverint.

335 Quam sanè perversitatem si forte ii nondū agnoscunt, quæro jam ego ex ipsis si quis ad aliquem Principem legatus, ut ejus filiam suo uxorem Regi peteret; verborum lenociniis sponsæ amorem ab amore suum erga sponsum quàm longè vocans, sibi eam conciliare niteretur, tantūmq̃ de sponsæ in sponsum amore detraheret, quantum sibi adjuget; an non summam injuriam & novæ sponsæ, & Regi suo sponso faceret? sine dubio maximam. At Concionator, Christi Domini Regum omnium summi Regis ad animas castissimo conjugio cum ipso copulandas destinatus, fucata A philtris eloquentiæ, argutiarū salibus, præstigiisque verborum ad sui laudem ingenii, ad suæ plausum memoriæ excitans Auditores, sibi que eorum animas, amore erga Christum verum illarum sponsum tanto pere immisuto, imo rejecto, benevolentia studens conglutinare, quàm detestandā B flagitii notam sibi, atque illis inurit, quàm inexpiablem injuriam Christo & Regi, & soli animarum sponso constat? quàm impurissimi scelus adulterii molitur? Quid igitur his, aliisque id genus permultis criminationibus concionalis muneris prævaricatores poterunt tandem respondere? Testor verendum illud, vindexq; scelerū Jesu Christi tribunal, exprobrante, ac vociferante conscientia, convictos, mutos, pallidos, pa-

vidos, tremētēsque ne hiscere quidem au-  
suros, atque in sempiterna incendia illico  
dejiciendos.

336. Quem autem non moveant, Anti-  
stites prudentissimi, justæ illæ, & graves Ec-  
**A**clesia nostrum omnium parentis lacrymæ,  
quæ squallida atque atrata intermortuis  
penè vocibus hujusmodi Concionatores  
hunc in modum affatur? Ego illa sum, quæ  
vos Christi sanguine satos, meis Fidei incu-  
nabulis, quò eam propagaretis, excepi. Ego  
vos in profanæ doctrinæ gymnasiis, ut sa-  
cræ famularetur, non eam obrueret, educa-  
**B**vi. Ego vos Apostolis arma vi, Prophetis in-  
struxi, sacrorum voluminum inexpugnabili  
apparatu firmavi, Patrum solidissimis pro-  
**C**pugnaculis obvallavi; tot sanctorum Hero-  
**D**um manipulis, tot candidatis innocentia,  
**E**tot paludatis cilicio, tot pastis jejunio, tot  
purpuratis *martyrio*, tot tantorumque illu-  
strum exemplorū agminibus circumseptis  
omni demum instrumento sacro, ut animo-  
se, ac fortiter contra tot flagitiorum mon-  
stra, tot mundi illecebras, tantam dæmonū  
tyrannidem pugnaretis, munivi. Vos vos  
ego in hanc tantam muneris dignitatem  
extuli; vos supra reliquos homines in altissi-  
mo Concinatorum folio, in pleno Maje-  
statis iuggestu collocavi. Vos magistros po-  
pulorum, doctores veritatis, verbi divini  
præcones, sanguinis sponsi mei dispensato-  
res, demissas è Cœlo in Orbem universum  
tubas, quò mihi auxilium ferretis, constitui.  
Et

Et me tot in angustiis versantem, tot laboribus, atque ærumnis exagitatam deseritis? Desunt fortasse, desunt calamitosa strages, quas patior? Desunt fortasse vulnera, quibus confodior? An non spectatis confertos, qui in me tam inhumanè sæviunt, Adversarios? An me non solum ab impiis Judæis contemni, ab obstinatis Hæreticis vexari, ab iniquis Ethnicis irrideri, sed ab ipsis etiam filiis meis perfidis, ac perduellibus prodi non inueniunt? Non animadvertitis ab ipsis quoque Christi authoratis nomine aumnis meis me flocci pendì, me jactari, me undique probris, contumeliis, atque factionibus prosciendi, distrahi, ac lacerari?

337. In vobis, Concionatores mei, quos tanto labore institui, tot bonorum generibus cumulavi, atque ad hoc sacri officii tam sublimè fastigium perduxì, spem solatii maximam diu posueram. A vobis præcipuè auxilium præsentissimum, ut Christo fide illibatâ oppigneratos homines adversus dæmonem, Mundum, ac sensus insidias evocaretis, & confirmaretis, præstolabar. Vos potissimum hostibus meis, tanquam unica meæ præsidium salutis opposui. Et me in his perturbationum fluctibus, in his ærumnarum procellis quæ summam commiserationem erga ignotos etiam, atq; extraneos, nedum erga matrem ad eò afflictam, talem, ac tantam, facile movent, relinquitis? undique miseris obsessam negligitis? has pro tã magno beneficiorum cumulo vices, tam in-

ingratas, tā duras, tam inhospitales redditis!  
 O viscera meorum filiorum dura, ac inhumana!

338. Quod si vos mei, hoc est matris a-  
 rumnosissimæ, atque mœstissimæ summus  
 dolor, lacrymæque; si oratio, ac voces istæ  
 lamentabiles nihil commovent: flectat sal-  
 tē vos perlucentuosa extremæ meorum fi-  
 liorum calamitatis scena animo, oculisque  
 vestris subjecta: Cernite enim, cernite tot  
 ac tanta, tam frequenter pereuntium agmi-  
 na populorum. Cernite tot animarum Chri-  
 sti sanguine redemptarum catervas Deo, sa-  
 lutiq; suæ tam sæpe terga vertentes. Ruunt  
 confertim, ruunt in Inferos, ruunt cotidie  
 innumeri mortalium manipuli; & tamē tot  
 illæ animæ, quæ intereunt, sorores vestræ  
 sunt. Tot cœtus Christiani, qui in Tartari  
 lanarium detruduntur, fratres vestri sunt.

**A** Paucula, quæ supersunt, reliquæ, doceri à  
 vobis postulant, quæ nesciunt, necessaria sa-  
 luti: sanari flagrant sua vulnera; à tot flagi-  
 tiorum jugo subduci se expetunt; ab Orci  
 faucibus eripi, supplices poscunt, ad virtu-  
 tem inflammari vehementer desiderant. Et  
 vos tantarum aspectus calamitatum nondū  
 ad misericordiam impellit: nulla vos accur-  
 rendi, supererandique pungit sollicitudo!

**B** Imò verò hanc tot malorum Hydram fœ-  
 cundius in dies repullulare, quò vestris tan-  
 tum flosculis intemperantiùs indulgetis;  
 quò acuminum dumtaxat fasciculos, am-  
 bitionis exuvias, eodem, quo vos, Gehennæ  
 igne absumendos compingatis, etiam patie-  
 mini?

mini? ð præcordia ab omni pietatis sensu aliena! Nôstis nôstis, quod sæpe ex me audistis, quælibet caritatis obstringi lege, ut vel proprium corpus etiam, ac vitam, pro alterius animæ, & solius quidem salute, quum opus est, morti dedat. Et vos has superbiae pustulas, has eloquentiæ pestes, hæc persequutionis dedecora, has amplificationis contumelias, has affectionum, morum, atque argumentorum corruptelas, ob eximium Dei honorem augendum, ob acerbas *Ecclesiæ* quassatæ miseras recreandas, ob certam nõ unius, sed tot tantarumque ruinam animarum avertendam, ob magisficum Evangelii decus propagandum, ob gravissimum vestrum officium explendum; quin etiam cum summo honoris vestri lucro, cum summa quoque sapientiæ existimatione non abjicietis?

339. His *Ecclesiæ* luctuosis querelis nisi percitantur, tandemque bonam ad frugem se recipiant vitiati Concionatores, quid consilii capiendum est, Auditores? Non de re ludicra, aut levi agitur, sed de vestro negotio omnium summo, extremo, maximo. Non hic vos ego de syllabis, verbis, aut nominibus sollicitos esse jubeo. Si enim honestè, beatèque viveremus; ego sanè, quot tandem styli, aut sermonis genere uteremur, non laborarem. Sed itur in deliberationem de gravissimis omnium, quotquot inter homines accidere unquam possunt, cõtroversis. Agitur de futuro ab adolescen-

tibus, de avaritia à senibus, de superbia à po-  
 tentibus, de fraude à plebeiis, de impuden-  
 tia à feminis, de impotentia à viris, de im-  
 modestia à Templis, de intemperantia à da-  
 pibus, de luxu à vestibus removendo. Agi-  
 tur de pudore virginum tuto, integritate  
 servando, de pace, & concordia domi-  
 risque alenda, de fide in commerciis, de re-  
 verentia, atque obedientia in filiis præstan-  
 da. Agitur de modo furtis, ac rapinis ponendo,  
 de sine incestu, infandaque Venere sta-  
 tuendo. Agitur de jurgiorum, vulnerum,  
 & sacrilegiorum termino stabiliendo. Agi-  
 tur de invidia, odiorum, irarumque metum  
 defigenda. Agitur denique de vitiorum om-  
 nium regno castigando, & coercendo, de  
 vestra omnium salute procuranda, de æter-  
 no Erebi supplicio declinando. Et fieri ne  
 poterit, ut verbi divini adulteros declama-  
 tores, qui omnia sacra, & profana pertur-  
 bant qui apposita ad compescendam scele-  
 rum luem remedia non adhibent, quia  
 omissa orationis severitate, illa eadem se  
 non foveat, certè sinunt perfidiosè grassari,  
 vultu, oculis, fronte non avertimini? Hæc  
 ego ingentia vestri damna mente perlustro,  
 hæc Ecclesia sanctissimæ strages, hæc vestri  
 caedes immanissimas, quum a deo elatè cla-  
 mo, ut jocularis istos Concionatores toto  
 animo detestemini, cogitationi, oculisque  
 subjicio. Hæc crudelissima demonum ty-  
 rannis, hæc ebullientium æstuarium cupidi-  
 tatum, hæc calamitatum miseranda specta-  
 cula

cula mihi feriunt viscera, me dicentem inflammant, me tacentem urunt, excitantque; hæc me vestras vices, vestra infortunia, vestrum æternæ mortis, Infernique ignis certissimum discrimen lugentem prope discernunt; hæc me concionandi munus, in *Ecclesiâ* Dei potissimum animarum convertendarum instrumentum, tam foedè à plerisque esse depravatum lacrymantem, nullam quietis partem capere, nullum doloris levamen accipere patiuntur. Flere tantum jubeat, ac vociferari: tum vos etiam rogare, atque obtestari. Per fortunas vestras, Auditores, per vestram vitam, per vestram omnium animorum salutem, per Deum immortalem, per sacrosanctum Jesu Christi Sanguinem, mortemque pro me, ac vobis obitam, corruptos Concionatores in media Concione deserite, dicentes vultu indignabundo interurbate, ex eorum vos conspectu repente proripite, vacua penitus subsellia relinquite.

340. E contrario verò probos eloquentiæ alumnos, germanosque Evangelii satores, qui animarum fructum se præcipuè venari demonstrant; qui salubriter animos fauciant, qui toti sunt in veritate persuadenda; etiam si quibusdam levioris momenti prærogativis minimè essent ornati, quum illud, quod caput est Oratoris, vestriæque plurimum refert, satis præstant accommodatè; toto pectore complectimini, frequentes, tacitè audite, ad eorum Conciones

312 ACTIONIS PERORATIO

alios adducite. Vestro confesso, ac presentia illos cohonestate, atque ad fructus uberioros ferendos, merendosque alacriter incitate, ac si vos pios, atque prudentes vultis ostendere, nunquam vos ab illorum suggestu, rugatorum artibus Concionatorum, abstrahi sinatis. Hoc pacto inita Auditorum cum Concionatoribus conspiratione, non solum privati homines paulatim novam induent faciem, ac mentem; Sed Ecclesia etiam univarsa moribus aliis, integris, incorruptisque imbura, ad omnem pietatem, egregiamque Christianae disciplinae formam brevi feliciter reflorescet. Dixi.



CATA-